VERA, CONSTANS ET SOLIDA RESPONSIO ILLVSTRISSImi ac generosissimi principis Henrici iunioris Braunsuicensium & Luneburgensium Ducis, ad Cęsaream & Regiam Maiestates, Electores, Principes & Status Imperij Romani, aduersus Electoris Saxoniæ & Lantgrauij Hassiæ, eorumque Lutheranæ factionis complicum, seditiosorum conspiratorum, fictam, falsam & inanem prætensam excusationem, ob quasnam ipsi caussas moti, quod D. S. bello impetiuerint, eque suo Ducatu eiecerint, nuper Spiræ in Comitijs habita, ex qua luce clarius apparet, aduersarios eo facto seditiose & contra ius, ęquum ac omne bonum, contra Imperij Ordinationem & placita, ac publicam pacem egisse.



Actum XXIII. Aprilis, Anno domini M. D. XLIIII.

AD CATHOLICVM LECTOREM.

IN CHRISTIANO orbe neminem latere puto, catholice lector, quibus sacrilegijs ac innumeris alijs terq́; quaterq́; execrandis oppressionibus & facinoribus, Lutheranæ factionis seditiosi coniuratores catholicam religionem per totam fere Germaniam impune hactenus exagitauerint, templa prophanauerint, & sacros prouentus in sacrilegos usus conuerterint, & quod non minus acerbum est, plerosq́; omnes bonos uiros, qui ex aduerso contra tam impios, & nunquam antea auditos bestiales conatus animum obfirmarunt, magna ex parte & sustulerunt, & reliquos non cessent e medio tollere, quibuscunq́; id maleficijs fieri queat. Si cui hæc seditiosorum crimina in uniuersum ita explorata non fuerint, saltem diram illam tragœdiam cognosce reuelit earum rerum, quas in necem uere catholici Principis Henrici iunioris Braunsuicensis & Luneburgensis Ducis aduersus naturæ leges, diuina & humana iura, Imperij sanctiones, pacemq́; publicam, & contra facta promissa, necnon singularia pacta sæpius hoc nomine ab eisdem emendicata, & in Imperio publicata, perfidissime sunt machinati. Accesserunt ad hæc, ut mensuram illi patrum suorum (hoc est, omnium seditiosorum hæreticorum) adimplerent, atrocissimæ calumniæ, quas natiua impudentia confinxerunt, & ubiq́; pugnantibus inter se mendacijs per integrum biennium consarcinarunt, & in Comitijs Spirensibus proxime suis uiolentijs prætexerunt. Quibus calumnijs quamuis necesse non esset, intra triduum tamen mox subiecit nunquam satis laudatus Princeps Henricus solidam confutationem, & responsionem simplici tantum oratione præcipua calumniarum capita persequendo, interim ne fastidio auditoribus esset, multa mendaciorum & uanitatum plaustra, quum mutuo sese alioqui colliderent & aperte subuerterent, catholicorum iudicio relinquens. Ex hac igitur, quæ nunc in publicum exit, confutatione, & æditis iampridem aliis scriptis ab hoc catholico

Principe contra seditiosorum Coryphæos, facile quiuis colliget, qui seditionibus, & hæreticorum fermento non fuerit obnoxius, quonam conatus istorum subuersorum hominum tendant, & quid breui ab his expectandum sit, si DEVS derepente non apparuerit, & se his monstris plusquam diabolicis opposuerit. Horrenda & omnino execrabili licentia & conniuentia hactenus effectum est, ut catholica religio cum iusticia & pace publica in uniuersum pene sublata & extincta sit, cum oppreßione omnium bonorum uirorum, qui spem in DEO solo collocantes aßidue orant, ut tandem hi a grauißimo somno excitentur, qui huiusmodi malis potißimum mederi deberent, & tandem abscindantur, qui quauis corruptione tandem grandibus sceleribus patrocinantur. Idem te facturum non dubito, quisquis fueris æquus & catholicus, Lector bene uale.

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS HENRICI IVNIORIS

Ducis Braunſuicenſis &c. purgatio contra aduerſariorum calumnias.

GLORIOSISSIME & inuictiſſime princeps, & Imperator clementiſſime. Inclytiſſima, ſacratiſſimaqꝫ veſtra Cæſarea Maieſtas, illuſtriſſimo ac generoſiſſimo Principi iuniori Henrico Duci Braunſuicenſi & Luneburgenſi, &c. domino meo gratioſiſſimo, concionem quandam ab hinc paucos dies habitam (qua Saxoniæ Elector, vnaqꝫ & Haſſiæ Lantgrauius, cæteriqꝫ illius coniurationis affines illatam illuſtriſſimæ dominationi ſuæ ſuiſqꝫ violentiam defendere præ ſe tulerunt) plenā conuicijs, canina dicacitate, plenā improbiſſimis calumnijs ædendā clementiſſime curauit: pariqꝫ animi facilitate, illuſtriſs. D. ſuæ hunc locum ad dicendū aperuit, vbi maledicta animi quodam morbo ingeſta, inuſtasqꝫ maculas & poſſit & debeat neceſſarijs ſpongijs eluere. Quapropter ſacratiſſimæ V. M. in primis quam humillime gratias agit, obſeruantia, indulgentia, liberalium officiorum aſſiduitate pares aliquando relatura. Conſtituerat autem purgationem hanc, ab omni prorſus fuco abhorrentem, inuictam legitimamqꝫ (quantam fieri poſſet) efferre modeſtius, verum quum neqꝫ modum, neqꝫ quicquam penſi, præter illotam maledicentiam, caducam & imbecillem procacitatem, aduerſarios videat habuiſſe, res ipſa hortari videtur, vt maledicēdi voluptatem, quam ex immoderato pectore euomuere, male audiēdo amittant. Orat igitur obſecraturqꝫ ſacratiſſimam V. M. ſi pari forte ære cum aduerſarijs certauerit, hoc eſt, clauum (vt aiunt) clauo pepulerit, paxillum paxillo, ne grauius ſuccenſeat, aut reſalutationem huiuſmodi, ruſticitati attribuat: huc enim ineuitabilis neceſſitas, huc initium iuris, natura, inſolensqꝫ malarum artium cōſcientia vel inuitum protrudit. Nullaqꝫ inuidia eſt, vt ij qui initium maledicendi introduxerunt, ſicuti ſementem fecerint, ita

& metant. Enimuero atroces has iniurias dissimulare, derelinquere, aut remittere minime cogitat, quin ad animum reuocabit, gnauiterq(prout necessarium duxerit) absterget, modo hoc præmonuerit, aduersarios cæterosq conspirationis illius iuramento obstrictos, præter meram & impudentem calumniæ præuaricationem, tota actione nihil egisse, tanquam ij qui odio, ac venenata ciuilis sanguinis libidine, diuina humanaq omnia promiscua habent. Ad hæc ea scelerum excrementa, quę(citra iactantiam) in fidelem, obsequentem, Catholicum, rebelles, factiosi, schismaticiq expuerunt, moribus ipsorum & vitæ potissimum consonare. Cæterum in vitam alicuius hac responsione (qua necessario aduersariorum furori, digno cuius gratia vadimonium desereretur, duxit obuiandum) nequaquam cõtumeliose dicere, quin famam potius suam, iurisq integritatem generosi animi protestatione conseruare, omnibusq modis contra iniuriam venire contendit. Priusquam ergo vela ventis committat, necessario sacratissima V.M. remandet, quo pacto interdictos Goslarienses, post diuturnũ iuris conflictum, violentiæ (vt inferius dicetur) publicæ reos in bannum Imperiale legitimis censuris & decretis cõiecerit, in quo ad hunc vsq diem fœdissime putrescunt, neq extra consensum suum eximi possunt aut absolui. Ac quanquam turbulenti ij nostri aduersarij, bannitis suæ cõspirationis popularibus, iuris, Imperialiumq ordinationum inhibitione nullatenus vsui esse aut patrocinari debuissent: notorium tamen omnibus est & liquidum, quod in contemptum Cæsareæ vestræ autoritatis, Imperialium mãdatorum, & constitutionum multis modis ipsis profuerint, atq hoc prætextu aliqua ex parte illustriss. & generosiss. Principem (in reos nihil seuerius adhuc attentato) hostili manu, inhonestis & fraudulentis oppugnationibus paterno & auito ducatu exuerint: qua ex caussa vt rebelles quoq, & prædictæ tranquillitatis contẽptores, in Imperiale bannũ inciderũt, itaq promulgati sunt & declarati. Atq idcirco ad constitutionẽ Vormaciæ anno supra sesquimillesimũ vigesimo primo promulgatã, maxime vero ad Rubricam, de pœna ruptæ tranquillitatis, se remittit. Quapropter & dignitatis & vitę, fortunarum priuilegiorumq omnium supremum periculum incurrerunt. Nihilo minus tamen super inquietudine coram laudatissimo V.M. Cameræ iudicio ita de iure capite potissimum diminutis negocium fecit, futurum sperãs vti dignam mercedem,

cedem,hoc eſt, proſcriptionē breui reportarent,eꝗ ſuis (ni illegitima quædam impedimenta incidiſſent) virtutibus de facto etiam ornarentur: in quæ obſtacula neꝗ conſenſit, neꝗ conſentiet vnquam,animoꝗ concipit(veluti eum ſacratiſſimæ V.M.in exordio propoſitionum detexit) ne tantillum quidem ab inſtituto proſecutoꝗ iure in tranſuerſum ſe iturū,aut vllam in cauſſę nouitatem vlterius conceſſurum,& in hoc palam & per expreſſum ita proteſtatur. Procul dubio ſacratiſſima V.M.quanta in vigilia ſit conſtituta officij memor reputabit, neꝗ vlteriores obijci tricas, aduerſarijs aliquando ita contendentibus,legitimæ actioni optimeꝗ inſtitutæ,verum eo magis ad extremum actum deduci patietur,quo prærogatiua excellentior præ cæteris (vt Imperij conſtitutiones atteſtantur) venit expedienda,quanquam toto fere biennio viæ iuris ei quoꝗ fuerint præcluſæ,quo quid dictu inſolentius? auditu miſerius? factu deniꝗ crudelius? maxime quum ſua quis aperto iure aduerſus turbulentiſſimos prædones tutatur. O conditionem miſeram, vbi nam illa iuſticia, quæ promiſcua omībus propicia prædicatur? vbi legis potiſſima virtus vetandi aut puniendi? Sed cui dubium videri poteſt, ſi vel minimā iuris ſcintillam (cui tumultus hoſce extra controuerſiā acceptos referrent) reliquam ſibi exiſtimaſſent, iuſtiſſimum religioſiſſimūꝗ ſacratiſſimæ V.M.& Imperij ſenatum fuiſſe repudiaturos? Sed quia purgationū inopes ſunt etiā domeſtico teſtimonio, falſis quibuſdā & illegitimis rationibus tanquā Epheſijs(vt dicitur) literis ſacratiſſimæ V.M. totiꝗ Imperio fucum facere conātur, ijs ſeditiones tegere,cauſasꝗ e ſacratiſſimæ V.M. aſſeſſorūꝗ Cameræ manibus in clementiorē,ſi dijs placet, locū referre,quaſi vero illuſtriſſimus noſter Princeps vtilius quid neſciret, aut quod ipſis in ſomnio rectiſſimum videretur,ſupra anteactam iniuriam vimꝗ hoſtilem idipſum oporteret pati, quo quidem ne errent, nunquam adduceretur ſanioribus conſilijs imbutus. Verum illæ huiuſmodi non ſunt,quæ poſſint aut eos a Camera eximere, aut quæ tanquam iuſte debeant exaudiri, quum ſic vtraꝗ ad nequitiam feneſtra eiuſmodi falcarijs aperiretur,neꝗ oppreſſis (quod quam ſit intolerabile, iudicent ij qui ſalis aliquid habent, neutrique ſe addixerunt) ſpes ab iniurijs reſpirandi: obliterentur ergo quæ contra hæc aduerſarij inaniter comminiſcuntur. In ſumma, nullas inueniunt rapinarum, latrociniorum, tumultuum cauſſas, neꝗ enim quæ fir-

mæ,quæve forent honestæ, obuias habebunt. Præterea non ignorant Imperialis Cameræ præsidem & assessores in huiusmodi negocijs haud aliter, atq; iuramento obstricti sunt, fulminaturos: atque idcirco quoquo tempore anxios esse oportere, ne scelerata pertinacia, turbulentaq; seditio conuincatur, conuicta condemnetur, condemnata seuerissime puniatur. Hinc illæ lachrymæ, atque hæc caussa, quod flagitia præter omnem iuris & æquitatis rationem, modo recusando, modo protestando & similibus coloribus obnubilant, bonorum interim animas, famam, corpora, fortunas in discrimina mille vocantes, ad quæ si diutius conniueatur, miserabilis omnium nostrorum conditio. Confidit tamen Deum optimum maximum, diptheram (vt aiunt) aliquando inspecturum, vestræque M. autoritate omne hoc flagitij genus in neruum tandem erupturum. Quod quidem necessario fiet, si modo recte viuendi, publicæq; salutis fundamēta debent expectari. Sed quum etiam seditiosi nostri aduersarij (vt eo vnde digressus sum, redeā) a veteri disciplina, germanaque fide, a religione ecclesię catholicæ, ab indiuidua fidelium communione in noxios errores, & pestiferas sectas, obstinato adhuc & impatiēti sanioris disciplinæ animo inciderint, omniq; consequenter studio, diligentia, conatu (id sibi mali solis sponte acciuisse non contenti) contagia latius agere magna cum animarum tum corporum iactura felices partim operum elaborarint. Vnde horrendæ primum, a Deo optimo maximo, a sacrosancta sede apostolica, a sacratissimis Cæs. & Reg. V. M. a cunctis deniq; superioribus: in imperio deinde seditiones, discordiæ, sectæ, præterea eneruatorum statuum, difficultatum publicarū, ruinæq; Germanicæ signa, emersere: quibus crudeles patriæ parricidæ (inter quos & ij censentur, qui bina sponsalitia, diuinis humanisq; legibus interdicta, binasque nuptias eodem tempore habent cōstitutas) auidissimo Christiani sanguinis hosti Germaniam deuastandi subigendiq; amplissimam occasionem præbuerunt: euidentissime sequitur, propter vitæ hanc turpitudinem (iuxta plurimorum Conciliorum Imperialiumque sanctionum autoritatem) a corpore ipsos vt putrida membra auulsos, neque in Imperij Ordinem quoquo pacto vlterius veluti fucos admittendos: Quare nec idoneos etiam iustissima ex caussa, illustrissimi nostri Principis, Catholici videlicet atque fidelis accusatores, neque dignos cum quibus iudicio aut in hac corona decertet, veluti nec

legitime

legitime cum ijs contendere præsumit, incœpto semel iudicio nu peraque protestatione, atque ijs, quorum in ea tum mentio supraque facta est, contentus, neque vlterius etiam nisi legitima restitutione præcedente, huiusmodi calumnijs est responsurus: ne tamen inaniter dicendi hunc laborem insumat, cum sacratissimis V. M. tum cæteris Imperij ordinibus hunc honorem sciant haberi, vt conspicuum fiat, in aliorum fortunas nullo se iure nullaque æquitate, verum odio ac mera nocendi libidine inuolasse, longeque aliam negocij huius rationem ac eam, quam impudente sua concione aduersarij detexerunt, neque tamen cogitat actioni legitime institutæ litique pendenti & alijs oportunis remedijs quicquã derogare, id ita quoque per expressum protestatur, non quidem eo consilio, quasi a negocio hoc (vt solent omnia sinistre de illustrissimo nostro Principe aduersarij interpretari) magnopere abhorreat, sed quia committendum non est, vt a certis illorum libidine ad incerta Thessalorum commento abstrahatur, multitudine l[itium] sursum & deorsum (sicuti alijs cum qbus negocium habuerũt, videmus accidisse indiesq; adhuc accidere) prolixe voluteter. Quanque vigore illegitimæ cuiusdam assecurationis huiusce caussæ iudices sacratissimas V. M. Electores, cæterosque Imperij Principes & Status constituant: hoc tamen in contextu & dispositione dicta assecuratio non definit, tantum præscribit contra aduersarios interim ante competẽtem audientiam, etiam amicabilem vel iudicialem discussionem, facto nihil attentandum. Quæ verba illustrissimus Princeps in eam sententiam non cogit, præterquam quod eam assecurationem quoque non approbauit, neque adhuc de iure cogitur approbare, idemque sibi nunc dicit metuendum, quod non ita pridem contigit. Quum enim Norimbergæ (vti sacratissima Regia M. non ignorat) in pacis conditiones, dieique in eam rem diffisæ expectare consensisset, eoque suos cum plenitudine potestatis amandasset, calumniosas tum quasdam elabendi rimas excogitarunt, neque in vllam compositionem descendere voluere. Sed nec Noricum illud placitum (licet ea opinione ducantur) sacratissimæ V. M. totique Imperio cognitionem imponit: Regia tantum M. non iniquis rationibus illustrissimo Principi nostro persuasum se consentit, vti institutam actionem in aduentum sacratissimæ V. M. velit differre, atq; eius cæterarũq; Imperij Statuum decisionem porro manere,

In hoc vero quatenus consenserit, Regiã M. non subterfugit, præterquã quod tum per suos quoque contra huiusmodi suspensionem coram Imperij Ordinibus publice cum verbis tum scriptis est protestatus: eamq; protestationem in Imperij prothocollum signãdam procurauit. Quid quod & ea constitutio definitum tempus, sex videlicet tantum mensium præscribit, quorum adhuc totidem iam sunt elapsi, neq; etiam nisi reformata Imperiali Camera, coram ea expediendã hanc caussam expresse decernit, & quanq̃ etiam huiusmodi quid decerneret, quia tamen in eam non consensit, qui poterit ipsum quoque alligari? Hic vero quam in rem suam sint industrij & acuti, Imperatoriæ V. M. facile ostendunt, neque insolenter faciunt vulpinis circumueniendi artibus omnium citra controuersiam principes. Manifestum ergo iam est, in arbitrium sacratissimæ V. M. aliorumque Statuum caussam hanc cogi non posse, neque etiam vllam Cameræ reformationem expectari necessario debere: quod quidem nimis illi diuturnum foret. Neque enim impedimento est, quod suspectas habent personas, easque (vt supra monuimus) recusarunt: ita nec arborem vsquam suspendio sat idoneam comperient, pulchreque res suas ad quæuis eorum vota & placita promouere possent. Proinde illustrissimus Princeps & dominus noster gratiosissimus vulgatã id circo aduersariorum protestationem, vt & hanc quã actioni huic, nimirum flagitiosæ, fictæque assuerunt (nullis videlicet ea iniuriosos se videri velle) tanquam inanem & imbecillem relinquit. Quibus enim coloribus famam suam, decus & statum Demagogi ij falso depinxerint, conuiciosissima scripta attestantur, in quibus etiam quia frequens sacratissimarum V. M. iussionum commemoratio intexitur, quibus (licet infirme) interdum se defendere conantur, si quæ aduersus huiusmodi excusationes (quod quidem diuinis humanisque legibus est permissum) moderate tamẽ temperanterque adduxerit, cõfidit sacratissimas V. M. non inclementer ea interpretaturas, omnem hanc occasionem intolerabili necessitati fatoque immutabili adscribendo. Rogat igitur sacratissimas V. M. vt hæc gratiose patienterque audiant, ijsque plenissimam fidem attribuant. Deinceps quoque, sicuti Romanos decet Imperatores, maxime vero confœderatos, aduersus hosce falcarios & auxilio & solatio existant. Cuius euentus spe suo se quasi iure consolatur. Sed quum etiam vitilitigatores inuectiuam proxime habi-

tam

tam, Latino Germanoque charactere (ita enim fama percrebuit) Argentorati publicarint, diuersosque in angulos sparserint, quam honeste quamque decenter, ad hæc qualis, an purgatorius an famosus sit libellus, Imperatoria V. M. facile cognoscit. Simili exemplo responsionem hanc suam vbi visum fuerit, prelo committendi facultatem reseruat, æditionisq; euentum eodem iure experietur. Saluis itaque iam dictis omnibus & singulis protestationibus, primum quæ ab aduersarijs pro eo dicta scripta ve sunt, libēs agnoscit, contraria vero omnibus melioribus, modo, via, forma, iure, quibus tutius, validius & efficacius potest & debet, impugnat. Ac vt intelligi potest, fere biēnium ijs est elapsum, a quo incudem hanc nocte dieque tundere cœperunt, famosam huiusmodi coactamque pro vi publica defensionem effingentes, quam si plenissime cum omnibus circumstantiis, caussisque incidentibus euertere voluerit, longiora sane tempora forent expectanda. Verum quum diuersum hæ angustiæ persuadeant, sitque etiam accusatio aduersariorum maiori ex parte ad hoc negocium impertinens (Quo enim nunc iure argentifodinæ montis Rhamonis, nemorum, syluarum aliarumque rerum caussas prætendant, quæ in ius coram Cameræ Imperialis iudice ante deductæ iam fuerunt, quam aduersariorum impia coniuratio fieri inceperit, vbi etiam ex parte decisæ sunt? relinquitur sacratissimis vestris Maiestatibus cæterisque Imperii Ordinibus discutiendum) constituit iis manum admoliri, quæ non sunt extra calcem (vt dicitur) impertinentia vero & quæ nihil ad chorum hunc faciunt (neque enim negligenter aut obiter veniunt prætereunda) suo in loco alias expedire, quibus præsenti negocio (mea quidem opinione) satisfiet vestræ Maiestati manifestissime, cæterique non partiales intelligent, aduersarios fucata & inconcinna oratione illatæ violentiæ caussam nullam dedisse, verum (sicuti & propositionum sacratissimæ vestræ Maiestati initio exposuit) contra autoritatem diuinam, honestatem, æquitatem, omnium hominum fidem atque opinionem, legum iudiciorumque seueritatem, Imperii placita, egisse. Atque idcirco vt seditiosos violatæ tranquillitatis pœna acerrime castigandos. Nec ignorat sacratissima vestra Maiestas, quam regie honorificeque aduersariis in præsentia sacratissimæ V. M. aliorumq; Electorum & Principum cum verbis tum scriptis responderit, quum ob similes caussas incendiariasq;

Ratispo-

Ratiſponæ criminaretur,eamq; reſponſionē literis exaratam Haſſiæ quoq; Lantgrauio communicauit, verum ille præterq̃ quod ne verbum quidem contra eam fecit, quarta quoq; luce illinc proficiſcitur, id an factum decenter honeſteque, iudicent ſacratiſſimæ V. M. iudicent cæteri Imperij Electores Principes & Status. Præterea eam & publicis formulis ædendam curauit, quod putarat aduerſus eius æquitatem honeſtatemque ſi vel guttam pacis & concordiæ amantis ſanguinis haberent (cuius miſerum promiſcue omnes ij inopes ſunt) facto ipſos non fuiſſe ituros, verum omnibus his poſthabitis Saxoniæ Elector, vnaque & Haſſiæ Lantgrauius, cæterique eius conſpirationis populares, præteritis iniurijs damniſq; non ſatiati, aduerſus iura communia, Imperiales ſanctiones, publicam tranquillitatem, deniq; omnia Imperij placita, omnes concordias quæ ipſimet ſollicitauerunt & emendi cauerunt, anno ſupra ſeſquimilleſimum quadrageſimo ſecundo, fraudulentis & inhoneſtis machinatiōibus illuſtriſſimi Principis ac generoſiſſimi Ducis Hērici ſubditos, nobiles, vrbanos & agreſtes ad defectionem ſollicitauerunt & concitauerunt, ipſi interea ſacratiſſimæ V. M. nomine, militem (cuius illi tum aduerſus Gallum neceſſarius erat vſus, quia Belgicam ferro igneq; late depopulabatur) oberrantes, menſe deinceps Auguſto in terras populumq; illius, Germania circa expeditionem Turcicam occupatiſſima, ad quam ſtipendiarios ſuos quoq; ablegarat, impetum fecerũt. Ac tametſi ſacratiſſima Regia M. Imperiales Commiſſarij, cęteriq; Imperij Ordines, qui tum Comitia Norimbergæ agebãt, per legatos & Commiſſarios maximę autoritatis viros in procinctu ita cõſtitutos interpellarẽt, vti ab iniuſtis armis & ſeditioſis diſcederent, quibuſdam etiam ob eam rem pœnale Imperatoriæ M. mandatum inſinuatum fuerit, nihilo minus tamen cupido minuebatur. Itaq; eo ducatu illuſtriſſimum Principem, cuius proprietatem ad ſacratiſſimam V. M. Imperiumq; Romanum, cęterum vtilitatem & feudũ ad ſe, filios & hæredes ſuos pertinere cognoſcitur, improuiſis occultiſq; fraudibus eiecerunt, religionē Catholicã, cæremonias, cæteraq; diuina miniſteria proculcarũt, proque his noua dogmata, inſtitutiōesq; introductæ, eccleſiaſticæ pſonæ eiectæ & depopulatæ ſunt, earũ bona in prophanũ vſum conuerſa, monaſteria partim exciſa, partim direpta, inſtrumenta ſigillaq; a religioſis vi extorta, iã vero tintinabula templis auulſa, vel precio

tio commutata, vel in alia opera redacta. Denique omnem pro-
uinciæ statum ita peruerterunt, vt vix per multos annos, innocen-
tesque principes aliqua ex parte recreari aliquando posse videa-
tur. Atque has turbas quanquam multis, varijs, maleque consu-
tis rationum centonibus propugnare nitantur, sicuti eas in proxi-
ma actione, multoque ante in libello quodam de ea re ędito, glori-
osis mendacijs & consarcinatis fabulamentis pleno recensuerunt:
puta, Braunsuicensium Ducem prætextu redempti montis Rha-
monis, nemorum, syluarum (quarum proprietas ad eum semper
spectauit) intolerabilibus damnis & iniurijs Goslarienses affecis-
se, in horum argentifodinas, nemora casasque metallariorum irru
pisse, ibidem plerosque verberasse, plerosque trucidasse, dolo mul
ta fecisse & curasse, quo inimicitiæ clanculariæ ipsis subornaren-
tur, Doctorem Delinghausen sua opera abductum, quosdam e
ciuibus Goslariensium iniuste supplicio affectos, in animo habu-
isse non Goslariam modo, verum & Braunsuicensem vrbem de-
populare eosque omnes aduersarios inuadere, potissime tamen (li-
cet nullum facto sat idoneum colorem assuere possint) suspensio-
ni, declarationi, confirmationi, prorogationi, & aduocationi, quas
sacratissima V. M. aduersarijs concessit, innituntur, cõtra ea a Du
ce Braunsuicensi Goslarienses vexatos, simulque Braunsuicenses
(harum seditionum non leues autores) non parum læsos, præter-
quam quod in plerisque locis, præsertim illius territorij, sedulam
conscriptionem, ingentemque militum apparatum factum (sic
enim fabulantur) subodorarint, quod potissimum fundamen-
tum est (licet æque non cohæreat planeque sit mendax & futile)
cuius respectu præuenisse se iniuriam fingunt, quæ alioqui di-
ctis ciuitatibus contra Imperatoria huiusmodi beneficia impen-
debat. Subinde in aduersarios Braunsuicensis Ducis cõsilia (quæ
ex literis quibusdam repertis huc detorquent) aperiunt: quodque
in sacratissimam V. M. Consiliariosque in ijs contumeliose multa
scripserit. Sed has atque huiusmodi falso adductas ratiões neque
purgare neque de iure sufficere, manifestissime sacratissima V.
M. vosque Electores, Principes & cæteri Imperij Ordines ex se-
quentibus intelligetis. Primum igitur (neque inficias ire pos-
sunt) anno supra sesquimillesimum vigesimo septimo pridie cor-
poris Christi, mense Iunio interdicti Goslarienses in monasteri-
um montis Diui Georgij, quod ad illustrissimum Principem &

generosissimum Ducem Henricum, in suo etiam Ducatu situm, absque vllo medio spectat, violenter irruperunt, muros & moenia perfregerunt, fenestras saxis contuderunt, inuenta ibi partim trucidauerunt, partim diripuerunt. Neq; eo contenti, quin & sequenti mēse Iulio, ipso Mariæ Magdalenæ festo maxima manu, ingentiq; bombardarum, equitum peditumq; numero oppido egressi Duce Ioanne Veydmannio, cuius tum consulatus agebatur, iam dictum monasterium rursus obsederunt, obsessum expugnarunt, expugnatum diripuerunt. Erat tum cernere omnem cultum atque honorem sacris ædibus detrahi, in areæ formam redigi, auehique in ciuitatem vetusta saxa, præpositum & conuentus fratres profugere. Pari crudelitate eodemque die in Parrochialem Ecclesiam montis Diui Petri in templum sepulchri Domini vna cum adiacentibus ædificijs. Deinde & in fanum Ramorspergensis cliui (quæ omnia eiusdem iurisdictioni subsunt) sæuierunt. Ad hæc concubia Panthaleonis nocte, eiusdem mensis binas illustrissimi Principis, vbi metalla liquefiebant, officinas vi occuparunt. Mercenarij æstuantibus fornacibus partim iniecti, inter incendia & flammas tanquam in Phalaridis Tauro miseram animam expuernnt, cæteros, non magis ijs quam lupis parcentes, acerrime verberatos semineces reliquere, itaq; plumbi structuras rapuerūt. Quid ergo horum maleficiorum, sacrilegiorum, violentiarumque reos peregisset legitimis sententijs post multa examina, longamq; iuris altercationem, quæ forte annis plus minus quatuordecim coram Imperij Camera durauit, anno quadragesimo primo in bannum inciderunt, & consequenter palam in Imperio vt banniti declarati & denunciati sunt. Quanquam autem facta hæc horrenda, seditiosa, barbara, & in quæ animaduerteretur, visa fuerint digna, & in processu caussæ plenissime probata fuerint, atque mons Rhamonis, absque vllo medio, ad illustrissimum Principem & Ducem Henricum spectet, ac Goslarienses extra moenia nullum districtum neque territorium habeant, nihilo minus tamen audent aduersarij ij nostri proferre, inique cum ijs banni fulmine actū, quam id faciant honeste, sacratissimę V.M. & quiuis alij nō ignorāt. Neq; inficiamur longo tēpore illustriss. Principis & Ducis Henrici militē in monasterio sui territorij cōsedisse, idq; huiusmodi pręsidijs munitū fuisse, hoc tñ eo cōsilio factū, sicuti aduersarij in primo articulo ficte recēsent, nullis

cir-

circunstantijs aut argumentis docebũt. Verum quia priores Goslarienses mense Maio militem conscripserant, iamq; domi habuerant, deinde mense Iunio (vt supra dictum est) apparatu eo bellico in monasterium montis D. Georgij violenter irruperant, muros perfregerant omniaq; diripuerant, necessario de præsidijs cogitare est coactus, eoque defensiones (presertim cum auxilium implorarent pater & conuentuales eius monasterij) magna cũ rei familiaris iactura, non alienigenas, sed e subditis tantum collectas locare. Fuit quoq; tum iniũctum, ne Goslariẽsium tam ciues quam eorum necessarios in vllo læderent, cui præcepto diligentissime morem gesserunt, neque eo minus vitæ necessitates & desideria in oppidum agrestes illustrissimi Principis subditi aduexerunt. Cæterum quum absque caussa stipendiarios hosce, nec non & alios omnibus modis obruere conarentur, & quosdam e menibus iaculando occiderent, fieri potuit, vt ij qui ad defensionem subditorum, vimque a proprijs corporibus arcendam eo constituti erant, vias & ad sui ipsorum & aliorum subditorum protectiõem fecerint. Quo facto Goslarienses grauari non potuerunt, quum illę absq; vlla cõtradictione in Principis sui territorio sitæ sint. Nec errãt quod antecessores illustrissimi & generosissimi Ducis Henrici decimas montis Rhamonis iurisdictionique cum omnibus suis pertinentibus & commodis, Goslariensibus impiæ nocuisse contendunt, modo hanc obligationem perpetuam non fuisse fateantur, alioqui toto cœlo deuiant, neque etiam huiusmodi Goslariensium Reuersalia ob eam rem concessa, imo plane contrarium attestant. Sed ijs modo paria fecit, falsoq; mẽtiunt eo pretextu redemptionis montis Rhamonis & nemorum ducem etiam aliena attraxisse. Quod quidem in hunc vsque diem minime docuerunt. Hæc autem omnia (vt cõmune ludamus) euidentius aperiunt testimonia ab vtraque parte in causa petitorij coram Imperij Camera legitime producta. Prodigiosa autem hic Lantgrauij leuitas videri posset (ni ingenio, natura, mente huiusmodi semper fuisset) quod in hac caussa illustrissimũ Principẽ iniquitatis arguere præsumit, cuius consilio eã multo ante susceperit, quanq; a cõsiliarijs suis discussam, non tantum iuri & æquitati conformem, sed & dignam iudicauit, pro qua aduersus Goslarienses auxilia promitteret, quæ quidem quomodo præstiterit, neque fidem promissam seruarit, quum potius omni conatu pro Goslariensibus

ſteterit, facto non ita inſolenter patefecit, adhuc tamen præ alijs conſtantiæ & fidei nomine gloria accupatur. Iam vero quũ illuſtriſſimus Princeps Henricus iuriſdictionem oppignoratam redemerit, redemptam exercuerit aut exerceri fecerit, ac ea quæ ſibi iudicialiter per eiuſmodi iuriſdictionis exercitium adiudicata fuiſſent, tanquam iudicata vſurpare intendiſſet, quis factum etiam iniuſta (qualem tamen ſane negamus) ſententia, aut vellet, aut poſſet culpare, quum miſſus in poſſeſſionem rei autoritate iudicis, & vigore eius ſententiæ etiam iniuſte latæ, ſeu ipſius inualidi decreti, excuſatus ſit a dolo? Quare illuſtriſſimus Princeps in hoc caſu iura appellat, præterquam quod in Goslarienſes nihil commiſerit, neq; vim vllam aduerſarij probarint, neque fatetur quicquam ſe, quod Judicium Cameræ ſibi abiudicauerit (vti clam non eſt) retinuiſſe, quin potius Goslarienſes mutuatam ſummam, quæ quidem plenarie ipſis numerata eſt, receperunt, nec tamen ſic manum a relato & redempto pignore amouere. Quinimo ſimul omnia ſeruare voluerunt. Atque ob eam rem illuſtriſſimo Principi ſuisque multam vim variaq; damna intulerunt, quæ quoquo tempore ferre nec potuit, nec etiam debuit. Vnde apparet omnis illos diſcordiæ fundameta ieciſſe, ſeditionũ illos autores & principes fuiſſe. Quare neceſſarium non eſt, vt hic longius torqueamur, quo pacto enim aduerſarij his cauſſis purgari poſſint aut defendi (quum huiuſmodi potiſſimum ſint, quæ partim a ſacratiſſimæ V. M. Camera deciſæ fuerunt, partim quoque apud eam tum pendebant, vtq; etiamnum pendent, priuſquam aduerſariorum conſpiratio initiaretur) ſacratiſſimæ V. M. vosque Electores, cæterique Imperij Principes & Status facile intelligere poteſtis. Conſequenter in medium adferunt ſeditioſi, quo pacto Princeps noſter gratioſiſſimus Goslarienſes in multas calamitates, ſubornatasque inimicitias coniecerit, idque per miniſtros olim ſuos Laurentium Kinderman, & Georgium Ziegenmaiern (cum quibus deinceps in compoſitionem deſcendere coacti fuere) confeciſſe. Quo pacto etiam illuſtriſſimæ D. ſuæ Secretarius belli edictiuas conſcripſerit, Doctorque Delinghauſen, & Theodoricus Schnell fuerint abducti, animamque egerint. Ad hæc Achim Riba vnaque & Balthaſar a Stechauu cæterique fecerint, & quæ his prolixe affluunt, putantes cauſſæ lumen aliquod addere, illuſtriſſimumque Principem in ſuſpicionem idcirco traducere. Ad hæc

vero

vero respondet illustrissimus & generosissimus noster Princeps, pariterque Achim Riba & Balthasar a Stechauu præsentes, quod omnibus & singulis hisce criminibus impudentissime, iniustissimeque præuaricantur, neque Lantgrauium, neque alium quemuis huiusmodi aliquid legitime comprobaturum. Exponuntque elidere & defendere has iniquas iniurias illatas, & honorem suum (ne crudeles censeri possint) nequaquam negligere velle, hoc tamen memoria repetunt, a Lantgrauio Thomam a Rosenberg, quum Sueuicæ coniurationis sacratissimarumque vestrarū Maiestatū hostis existeret, multosque Imperij ciues & vita & bonis exueret, hospitio ipsis videntibus collectum, necessarijs abunde satiatum & adiutum, & quod Lantgrauij prætensi Catinneliboisensium Comitis mandato eius attinentes frequentia negociatorum & plaustra conscissa, mercimonia (neque hoc conspirationis populares negari possunt) diripuerint, inque Gyngecia eius prædæ partē obtulerint. Qui Lantgrauius tres illos Episcopos sine vlla caussa ex mero nocēdi animo bello impetiuit, intolerabilibus damnis adfecit, multa pecunia taxauit, preterea cum suis complicibus monasteria templaque partim depopulatus est, partim solo æquauit, sacramentorum loculos, sanctorum patrum reliquias, cæteraque Ecclesiarum ornamenta violenter diripuit, hæc notissima sunt, neque vlla probatione indigent, nec tamen pudet (sicuti proxime factum est) publice coram Imperij Ordinibus inficias ire. An ne præsentium ora erubescis? maxime vero quorundam Abbatum, qui de iniuria conquesturi adsunt. Ad hæc Saxoniæ Electorē prætensum Magdenburgiæ Burchgrauium, vnaque & dictum Lantgrauium, gratiosissimi & illustrissimi domini Magistri Teutonicorum, præter omnem iuris (quam obtulerat) æquitatem domus & possessiones occupasse, quas & in hunc vsque diem, nihili querelas, imploratasque auxilia æstimantes detinent. Simili cupiditate Naumburg illum (Electorem puto) arripuisse, q̄d itidem inducto rabula quodam cōcionatore Lutherano Ambrosio Ambstorff, quē scismaticorum Papā eiusque loci Episcopū cōstituit, violenter adhuc possidet, antiqua & vera religiōe Christiana funditus eradicata, proque ea hæresi inuecta, qui quidem prætensus Episcopus eadem vesania, calices, sacramen-

orum loculos, aliaque ornamenta argentea conflauit, ex ijs numismata signata, in quibus altera forma Cardinalem cũ scriptione, Effigies Cardinalium mũdi. Altera morionẽ, cuius hæc Effoeminati dominabuntur eis, repræsentat. Quæ omnia non tam notoria sunt & manifesta, quam digna miseratione, vsqueadeone ad has atque huiusmodi iniurias, consiliorumq; Barbarorum euentus est conniuendum? maxime quum eo longius radices agant & altius, quo patientius tolerantur, neq; vlla rapiendi sit satietas. Quod ex eo manifestius apparet, quod ipsum Ducem Hericum Braunsuicensem stante illa Christiana expeditione aduersus Turcam, absque vllis releuantibus caussis, nulla virtute, sed meris inopinatis dolo & fraude Ducatu suo eiecerunt. Quem etiam nũc vltra omnes eius querelas & oblationem iuris & æquitatis violenter detinẽt & occupãt, haud secus quam si sibi hoc iure permitteretur, licet tamen ab omni iure abhorreant, variaque maliciose quærant subterfugia contra omne fas, bonum, æquum ac hominum fidem. Sperat tamen nec illis quoquo tempore talia successura, sed scelerum suorum aliquando Deo & Cæsarea Maiestate vestra vltoribus meritas poenas daturos. Cæterũ quæ monstra cum Turca, Franciæ Rege, alijsque potentatibus communia aluerunt, & forte etiam adhuc alunt, suo loco inferius dicetur. Sed & sacratissima V.M. de his latius a Lantgrauij ministro Henrico a Bortfeld (quem adesse video) ea de caussa, cum adhuc in Ducatu illustrissimi Principis & Ducis Braunsuicensis ageret, in exilium misso, informari potest. Procul dubio etiam a quodam Georgio a Reckenrod, eiusdem olim familiari, qui adhuc in Francia agit, audiuit, potuit enim illi non leuia de hac re concionari. Aeque potenter Argentinensium ad hæc Comitia legatus Iacobus Sturmius præsens modo sacratissimã V. M. instruet, præcipue vero, qui Argentoratum nullo non tempore, contra sacratissimam V. M. Regi Franciæ de militibus alijsque necessitatibus prouiderit. Atque hic quidem Sturmius non ita diu, pertinacibus, superbis, conuiciosissimisq; verbis erga quorũdam Statuum nũcios Statibus congregatis, cum Statuum consultationes ciuitatibus indicarentur, fateri non erubuit, Regem Franciæ optimum dominum & superiorem sibi esse. Quod si factum negabit, adsunt testes (quos nominare possum) qui hoc dicentem audierunt. Iam etiam quid eo plus ipsi hic moliantur, V.M. cõstare poterit, adeo quod omes

hæc

hæ iniuriæ,quibus ipſum Ducem adficere conantur,ſibi ipſis me rito adſcribi debeant. Ac nullarum literarum memoria illuſtriſſimus noſter Princeps tenetur,quas habuerint, quæque ad Goſlarienſes ſpectarint, ſi fuiſſent tales quoque (quod negamus) idcirco tamen facta hæc ſibi accepta ferri non debent. Nam non præſumitur hoc eſſe,quod ab eo contingit abeſſe. Quamuis abſque vlla iuris,æquitatis, publicæque tranquillitatis læſione in Goſlarienſes huiuſmodi quid ad defenſionem meditari & moliri potuiſſet. Sicuti enim ſupra receſuimus,ſeditioſe cum illuſtriſſimo Principe noſtro egerant,iuriſdictiones ipſius & proprietates adimere ſibique adſcribere conati,iamque hoc nomine quoſdam læſerant,quoſdam etiam trucidarant. Verum an hæc proprio motu Ioannes Kochius leuiſſimus nequam, Lantgrauij a Conſiliorum ſecretis fecerit(quem accepta quoque pecunia Maulhauſenſis ciuitatis captiunm, vinculis & carcere liberare non puduit) ex dictis ſatis intelligi poteſt, nec debent facta ſua innoxijs adſcribi. Nunc ergo planum eſt,quis Goslarienſium hoſtis extiterit, nimirum ij, qui nomine tales videri volunt, quales Veylandt Ziegenmaier & Kinderman fuere, cum quibus concordiam quoque (vt fatentur) inierunt. Quanquam autem aduerſarij de Georgio Ziegenmaier deinceps nihil loquantur, notorium tamen eſt has hoſtilitates,quas ipſe cum Goslarienſibus exercuit anno ſupra ſeſquimilleſimum trigeſimo octauo, quadrageſimali tempore cum alijs nonnullis, quæ idcirco contigere, per Lantgrauij Cōſiliarios ex illius Commiſſione Braunſuicēſi in ciuitate, quum eo Proteſtantes conueniſſent, compoſitas & Georgium principalem (ſic enim eum appellant & aduerſarij) conſultores, auxiliatores,inſtigatores, ſociosque tum ſuos, in compoſitionem ſimul traxiſſe, quod negare non poſſunt, etſi ſine eo ſecundum Iuriſperitos principalium pactionibus conſultores & auxiliatores accedant, quodque hoc negocium a Goslarienſibus in cauſſa fractæ pacis, vbi actores exiſtunt, purgationisque coram Camera cœpit moueri, contigerint ante ſuſpenſionem & forſan ipſorum etiam coniurationem. Qua nunc ergo integritate? quove fundamento horum occaſione demū Goslarienſibus vſui ſint, anteaq̄ Ducatu illuſtriſſimū Principem eiecerint, ſacratiſſima V.M. vosq̄ Electores, Principes & Status ob ſingularē prudentiā facile cognoſcitis. Monaſteriū Abenrod, de q̄ copioſe & aniliter fabulanť,

nunq̄

nunquam exustum, luce clarius est, atq; in hunc usq; diem ab incendio saluum remanet. Quæ ergo ista tanta est leuitas, coram sacratissima V.M. tam impudenter mentiri? Rogant etiam aduersarij sacratissimam V.M. ut testimonia quædam, quæ Lantgrauius ad perpetuam rei memoriam cõtra illustrissimum Principem produxit, Commissarijs requirat eamque aperiat, & alias adhuc personas ad examen venire permittat, sicuti hæc futili conclusione adducunt. Venit nunc in mentem illustrissimo Principi, quo pacto Lantgrauius iniquam & iniustam commissiõem testium examinandorum gratia ad perpetuam rei memoriam prætensarum quarundam iniuriarum excusationem ex insidijs obtinuerit, quam deinceps Regia M. extendit. Verum quum illustrissimus & generosissimus Princeps noster ad illam fuerat requisitus, sensit ob eam se (quia contra ius Imperijq; Ordinationes fuerat extorta) nõ minimum grauari, comperitq; Commissarios eiusmodi esse, ut eos nõ minus q̃ ipsum Lantgrauiũ haberet suspectos. Quare & libellum recusatiõis aduersus eos recitauit, quum autem præter hæc ipsi se idoneos iudicarent, ad Cameræ Iudicium necessario appellauit, ibiq; contra Lantgrauium citationes, illegitimos vero huiusmodi Commissarios inhibitiones decretæ, & deinceps insinuatæ sunt, præterquam quod hæ caussæ, super quibus contra formam iuris (neq; enim lite non contestata, exceptis certis casibus, testes recipi debent, cum neque valetudinarij, aut nimio senio grauati fuerint) testes producere cogitabat, non suæ, verum interdictorum Goslariensium fuerunt: quibus patrocinari tanquam bannitis nullo modo debuit nec potuit. Vnde dictũ examen, contra formam iuris videlicet inceptum, nullarum virium, nulliusq; reputationis est, neq; debet aut potest ei fides adhiberi. Quapropter nequit in aliquã tam vilis examinis publicationẽ, ulterioremq; personarum productionem, quas partim post Ducatus Braunsuicensis occupationem violato saluo conducto in vincula coniecit, varijsq; tormentis & cruciatibus, quæ vera non sunt, contra illustrissimum Principẽ fateri coegit, partim ad hoc, ut dicitur, pretio conduxit, reliquas minis compulit, in sua caussa cõsentire, neq; consentire de iure tenetur. Ac si forte contingeret, ut hæc impedimenta abessent, adhuc tamen ob supra dictas causas aduersarios releuare non potest. Verum si cõtra hæc quicquam agetur, quod (ut speramus) sacratissima V.M. nõ permittet, quin potius commissio-

missionem hanc (iuxta consolationem, quam illustrissimo Principi ac Duci Henrico in Italia, potissimum Cremonæ fecit) puta se quæcunqꝫ contra ius Imperijqꝫ constitutiones forent, cassaturam reuocaturamque, per se etiam inualidam cancellabit, in euentum de nullitate publice cum hac significatiōe protestatur, quod Lantgrauio, vbi legitima restitutio præcesserit, ad omnes petitiones & actiones, quas aduersus illum habere se putat, ordine iuris & secundū Imperij constitutiones non grauate respondebit, neqꝫ enim a iure & æquitate abhorret, illius fraudes tamen & deceptiones perpetuo ferre nec debet neque etiam cogetur. Quod ad eos spectat, qui iudicio Stauffenbergensi condemnati supplicioque affecti sunt, illustrissimus Princeps noster in facti narratiōe aduersarijs minime assentitur, neqꝫ enim alio animo quā rapiendi vimque inferendi in Ducatum suum venerant, & in locū fodinarum metallicarum, qui vulgo ym grund appellantur, irruperant, eque vna domo in aliam nudatis gladijs cursitantes, iam de hoc, iam de alio interrogantes, deinde in Cauponam, vbi metallarius quidam seruus Antonius Haidenreich prandium forte manebat, venientes simul accubuere, communibus cibo potuque saciati sunt, & amice collocuti. Quū vero ille ad fodinas diurni laboris exequendi gratia rediret, hominem secuti ex insidijs, violenterqꝫ prope nemus apprehendunt, verberant, eqꝫ Ducatu abducere conantur. Hæc atqꝫ huiusmodi prædandi consilia, quodqꝫ Goslariensium mandato ea fecerint, libere confessi sunt, sicuti etiam antea prætensi viarum custodes ab ijsdem constituti in Hartzburgensem illustrissimi Principis nostri districtum inopes quosdam patresfamilias crudeliter trucidantes, impetum fecerunt, idqꝫ propria autoritate. Ademerant ad hæc vitam homicidę, Augustino cuidam Ducis Virtembergensis seruo venatorio, prædamqꝫ quam e mortuo habere potuerunt, in ciuitatem secum asportarant. Quod si res cum condemnatis se ita, sicut aduersarij recensent, haberet, accepissent procul dubio secundum consuetudinem illius loci, ab illustrissimo Principe, vel eius officialibus testimoniales, similiter & officialiū cum in Caupona agerent, opem implorassent: quorum tamen neutrū contigit, præterq̄ qꝫ, vt ab intentione & sinistris consilijs desisterent, præmoniti fuere, neqꝫ fatemur ante præfinitum tempus, aut priusquam ab interlocutiora caderent, supplicium sumptum, neqꝫ illi hoc probabunt, idcirco relinquimus hāc

D alter-

altercationem tanquam inanem & futilem. Consequenter verisimile est Goslarienses, non sine singulari tamen emolumento, illustrissimi Principis nostri piæ memoriæ parēti mutuum aliquando dedisse, sed tantam, quantam ipsi fingunt, summam fuisse, omnibus modis inficiatur. Habuerunt etiam eam securitatem, qua contenti, nihil ab eo exigere potuerunt. Neque sequitur, gratiosissimus Dux noster ea exactione grauari se putauit (quamuis eius memoria non teneatur) ergo conueniet nobis Ducatu violenter ipsum exuere. Si quicquam de debito remisissent (quod procul dubio absque ratione nō fuisset factum) multo minus etiam cum complicibus suis colorem aliquem fractæ tranquillitatis nancisci potuissent. Cæterum quod aureos nonnullos sacratissimæ vestræ Maiestatis iussu & mandato pro plena banni decreti contra Hildesheimensem & Luneburgensem executione numerare coacti sunt, id necessario fecerunt, quemadmodum & alia eius loci Municipia: debebantur ab ijs etiam maiores summæ, quæ cum temperatæ sint, habent quare gratias agere possint. An nunc illustrissimus Princeps noster, quemadmodum seditiosi aduersarij scribunt, permulta illiberaliter crudeliterque perpetrarit, ac extremam calamitatem Goslariensibus parturierit, quiuis sapiens intelligere potest. Quum enim suis quis vti rebus, neque alios ijs vult potiri, qui potest damna meditari? Concedamus autem sacratissimam vestam Maiestatem executionem dicti banni legitime promulgati Spiræ cum Ratisponam ad Comitia proficisceretur, propter sollicitam, frequentem, & importunam aduersariorum instantiam, non citra tamen illustrissimi nostri Principis consensum aut scientiam, vsque ad Comitia ea, eousque donec aliud constitueretur, illegitimę suspendisse, & vestra Maiestas quoque, cæterosque Imperij Ordines banna & processus Imperialis Cameræ placito Ratisponensi contentos suspendisse. Ac si quædam disceptatio ob id oriretur, sacratissimam vestram Maiestatem super eo declarationem sibi reseruasse, quodque Regia Maiestas & sacratissimæ vestræ Maiestatis Commissarij Spiræ postea illegitimam suspensionem (de qua supra) cōfirmarint, prorogarint, bannumq; Goslariense ad se vocarint, & ideirco aduersarijs cautionem & mandata (inscio horꝝ omnium Duce Henrico) dederint. Adhuc tñ ijs fundamentis (quibus potissimū innitunt)

sedi-

seditiones,illatamque illustrissimo nostro Principi,suisque liberis & affinibus violentiam defendere nequeunt, quum manifeste & expresse cautum sit,tam iure publico, quam sacri Imperij Constitutionibus & tranquillitatibus,quod lis pendens, aut ius acquisitum,eiusque executio absque partium,quæ interesse habent, consensu,tolli, suspendi aut prorogari non possit. Et si quædam etiam a sacratissima vestra Maiestate, contra hæc attentata fuerint quocunque colore,illa ipsa nullarum esse virium,nullius momenti,nullius reputationis, sicuti & a sacratissima vestra Maiestate,cæterisque Imperij Ordinibus iudicatum, declaratum, & constitutum est.Neque difficulter inde erui potest,quem effectum legitimæ Goslariensis banni sententiæ suspensio (quæ absque Ducis Henrici Domini nostri gratiosissimi scientia & consensu facta est)sortiretur.Sed ponamus eam validam & efficacem(huiusmodi enim vere esse non potest) qui potest Ratisponense illud placitum de banno hoc intelligi? Quum expresse caussarum religionis,earumque quæ huius occasione ad Imperij Cameram deuenerunt, faciat mentionem, manifestum est hanc Goslariensium caussam(ob quam ij proscripti sunt) religionem ne attingere quidem ,neque eius occasione inceptam aut introductam. Quare ne longius euagemur ad iura hæc,ad Imperij ordinationes, res iudicatas,dictamque Ratisponensem ordinationem referimus. Ac ad maiorem cautelam, versutiasque declinandas, quibus sacratissimæ vestræ Maiestati, cæterisque Imperij Ordinibus imponere quiuissent, aduersus eam suspensionem tum quoque illustrissimus noster Princeps protestatus erat,eamque protestationem in Imperij Prothocollum fecit signari, itaque iuri communi Imperijque ordinationi semper adhæsit. Rursus si valida fuisset, haud longius quam ad Comitia ea Ratisponensia potuit extendi. Quapropter illustrissimo nostro Principi & hac via caussæ suæ æquitas iusque acquisitum saluum remansit. Quemadmodum & clausula inserta expresse declarat, quod videlicet partibus, quantum ad ius & interesse attinet, innoxia, tuta, non derogatoria remaneret,ijsque minime præiudicaret. Ob eam etiam caussam sacratissima vestra Maiestas personaliter, & per Commissarios Ratisponæ cum illustrissimo Principe Henrico egit, cupiens vti in eam suspensionem,quam diu Comitia ea durarent, tantum consentiret, quod quidem ex supra dictis caussis de iure communi

Imperialiumque ordinationum æquitate, absque notabili detrimento, facere non potuit, nec debuit. Interea tamen Goslarienses (quamuis eam facultatem de iure habebat) vlla damna se passos probari non possunt. Verum pro maiori illegitimi fundamenti sui probatione aiunt aduersarij Cæsaream Maiestatem expresse declarasse bannum hoc Goslariense inter alia (quæ in Ratisponensi placito continentur) annumerari debere, quodque sacratissima vestra Maiestas declarandi potestatem sibi reseruauerit, & cæt. Iam vero non conatur illustrissimus noster Princeps, & Dux gratiosissimus Henricus Imperatoriæ vestræ competenti potestati obloqui, de eaque profundius disputare, verum ea tantum adducere, quæ illi diuinæ humanæque leges pro iuris sui defensione concesserunt. Non tamen negari potest eam declarationem citra singularem illius, aliorumque adhuc fidelium Statuum scientiam sacratissimam vestram Maiestatem promulgasse, quo eam nunquam adduci putabamus. Vt autem generaliter de ea, eiusque punctis & articulis loquamur, concludimus quod quanquam sacratissima vestra Maiestas aliquorum articulorum in Ratisponensi Concilio declarationem sibi reseruauerit, ea tamen facultas ad alios casus, quam ipsius declarationis, non debeat extendi. Neque aliter quam natura & proprietas cuiuslibet declarationis requirit, poterit interpretari. Proprium enim declaratiōis est, ne quid noui inducat, ne quid mutet, ne quid contrarium decernat, sed vt obscura tantum, substantiæ nihil adimens, declaret. Hæc si in supra dicta declaratione inuestigauerimus, ponderauerimusque, inueniemus eam varijs passibus, Ratisponensi placito, eiusque verbis contrariam. Deinde (hoc ad præsentem casum spectat, nosque etiam supra monuimus) Ratisponense placitum caussas tantum religionis, & quæ ab ea dependent, prorogat: Goslariense hoc bannum inter religionis caussas nunquam fuit æstimatum, neque etiam eius interuentu intentatum, imo multo ante Noricam tranquillitatem coram Imperij Camera cœpit moueri, neque vsque ad sententiam quicquam religionis intercessit. Neq; obstat quod ex plenitudine potestatis certaq; scientia sacratissimam vestram Maiestatem hoc fecisse dictitant, licet multum id extendant vrgeantq;. Nam in caussis quæ communiter a sacratissima V.I.M. cæterisque Imperij Ordinibus decernuntur, inque Constitutionem abeunt, sacra-

cratissima Imperatoria V.M.iure conuentionis,& ita iure gentium nullam habet mutationem vlteriorem, quam verisimiliter ea Imperij decreta velle præsumuntur, pręterquam quod ipsa CERTA SCIENTIA in suis terminis, hoc est, in limitibus Cæsareæ potestatis verificatur, quemadmodū in hoc casu doctissimi quiq; satis expendunt. Præterea sacratissima V. I. M. declarationem eo animo concessam in hunc vsque diem inficiatur, Catholiciq; Status in eam non modo non consenserunt, verum etiam existimant (si modo concessa fuit) prodigiose in ea extorquenda actum, hoc potissimum argumento, quod Norimbergæ copiam a Notarijs (qualibus in huiusmodi negocijs vti solent) auscultatam & transsumptam ædiderunt, cuius originale Spiræ lectum (cum Camera visitaretur) plusquam viginti in locis ab exemplari compertum est diffidere, adeo adulterarant, mutarant, atque ad proposita sua omnia deflexerant, etiam de sigilli appensione mentientes, quum in charta declaratio fuerit scripta, eiusque tergo secretum impressum. Quam honeste ergo egerint, qua pœna huiusmodi falsarij sint digni, denique quales sint æstimandi, sacratissimis V. M. vobisque Electoribus, Principibus, cæterisque Imperij Ordinibus relinquitur. Quam nunc sacratissimæ V. I.M. scientiam, quam potestatis plenitudinem allegare possunt? Vidistis aduersarios & suspensione & supra dicta declaratione nihil proficere, satis superque etiam solutum est, quicquid aduersarij de V.M. potestate suspensionem hanc & declarationem faciendi adduxerint. Quod etsi per se aduersarij satis intelligant, neq; his rationibus tuto niti possint, conantur tamen adhuc illustrissimum Principem in odium sacratissimarum V. M. inueterata quadam rebellionis inuidia trahere, pœnisq; idcirco nescio quibus obijcere, q̄d tuendi iuris sui animo exceperit sacratissimam V.I. M. facultatē nō habuisse absq; suo cōsensu huiusmodi suspensionē, declarationē, prorogationē, aduocationē, &c. promulgādi. Cōtra hęc vero nō dubitat illustriss. Princeps, si eiusmodi, prout ipsum aduersarij practicauerint, a V. Cęsar. & Reg. M. extortū esset, eiusq; V.M. plane recteq; admonitæ fuissent, his bn̄ficijs modo aduersarios nō gloriaturos, maxime cū per iura & Imperij cōstitutiones nō subsistāt, sacratissimaq; V.I.M. cōtra ea palā in hūc casum corā oībus Imperij Ordinibus & expresse se obligarit, cauēs oīa fore inualida & inefficacia, iusteq; posse contēni, q̄ aduersus Imperij ordinationē obtinerent.

D iij Verisi-

Verisimile est, aduersarios sacratissimis V. M. imaginem horum temporum ante oculos posuisse, atq; his beneficijs omnes turbas posse amoueri, idcirco sacratissimam V. I. M. maioris periculi vitandi caussa, quod alioqui iniquum putarat & inhonestum, concessisse. Verum longe aliter cessit alea, quin ea clementia pro velo vsi sunt, maioremq; deinceps (sicuti exempla testantur) peccandi licentiam sunt adepti, neq; aliter faciunt ac Syrenes (de quibus in fabulis) quæ dulcedine quadam homines alliciunt, eosdem deinceps necantes. Fallere, mentiri, calumniari horum scientia est. Quę omnia vt mecum recognoscāt, meministis ne sacratissimam I. M. in hac ipsa vos ciuitate Spirensi, quum Ratisponam cogitaret, edocuisse, illustrissimum Ducem & Principem nostrum Goslariam copioso milite obsidere, eamque vrbem vehementer anhelare, cum vero Cæsareo nomine idcirco caduceator Christophorus Kegel in arcem Vuolfenbuttel venisset, compertum fuit Ducem Braunsuicensem, nihilque minus quam huiusmodi quid cogitantem, securum fuisse, quique iam ad Ratisponensem dietam abierat, quid aliud, quam impudentiæ signa dedistis? Huc etiam pertinet, quę nomine Protestantium Gandaui exposuistis, puta, Braunsuicensium Ducis Capitaneum quendam Vualterum Mestmacher Dauentriensem cū multis militibus prope Visurgum consedisse, cogitare Protestantes bello lacessere, ijsq; plurima damna inferre, an non apertis documentis ea calumnia est conuicta? Capitaneus ille eodem tempore Gandaui erat, longoque tempore apud Belgas iam egerat, neque viderat Visurgum vnquam, sicuti etiam coram sacratissima V. I. M. semetipsum tum purgauit, ea purgatione quoque ad accusatores suos transmissa, ad quam deinceps mendacij conuicti penitus obmutuerunt. Quandoquidem igitur, iuri Imperijque Constitutionibus (quibus honeste Maiestas vestra subscripsit) dictæ suspensiones, declarationes refragabantur, non iniuria se illustrissimus noster Princeps sensit grauari, easque vt obreptitias, & quæ in contemptum Imperatoriæ M. tenderent, repudiauit. Legimus ita Antiochum regem Municipijs rescripsisse, vt si quid illis scriberet aut mandaret, quod iuri aduersaretur, iuste contemnerent, tanquam citra suam sententiam emanasset, quales has esse & diuinæ & humanæ leges & Imperij Ordinatiōes attestant. Sed & ad quemcunq; Catholici & honesti animi Principem se remittit, vt is iudicet, an

de

de huiusmodi factis inique conquestus fuerit, & adhuc conqueratur, an non deceat quoque fidelem quemque & Christianum Principem hoc pacto sacratissimarum V.M. mentem, voluntatem, & verba (Deo optimo maximo potissimum perspecta) interpretari? quum vnicuique de voluntate Principis, & eam vt iusta sit, interpretari permittatur. Satis hactenus conuicimus illustrissimum Principem neque plenariæ sacratissimarum V. M. potestati aduersatum, neque vllam idcirco rebellionem aut pertinaciam incurrisse. Quin potius in Imperio nihil plus voluit valere, quam fidelitatem, quam pacem, neque aliud vnquam a sacratissimis V. M. optauit, & vitæ, & fortunarum discrimina subire nō dedignatus, modo autoritatem, reputationem, potestatemque sacratissimarum V.M. conseruaret, defenderet & ampliaret, eoque æquale ius, perpetua pax, quies, concordia toto in Imperio surgeret. Quales vero aduersarij in his se gesserint, quam sacratissimarum V.M. potestati, mandatisque paruerint, quo cultu ea affecerint, turbæ hæ & seditiones passim ab ipsis excitatæ decantant, quæ omnia clariora sunt, quam quæ debeāt probari, crudeliora, q̄ quæ debeant ferri. Extincta manet religio, extincta pax, extincta securitas, denique extincta iuris seueritas. Nec tamē pudet eos profiteri, sacratissimarum V. M. autoritati plurimum se tribuere, hoc est, vere (quod dici solet) verba dare. Sed quia etiam aduersarij Ratisponensem & Spirensem pacem, prorogationem, & de ea regiam cautionem, euulgatumque idcirco mandatum pro se hic adducunt, nō indigent alio, quam supra vsi sumus, responso, cuiusmodi enim sit dicta pax, ex eodem est manifestum. Nec potest negari iura publica, Imperijque Ordinationes honestam & firmam pacis formam præscripsisse, cui si aduersarij parere voluissent, neque tam obstinato animo eam oppugnare, sed superiori cuique sua relinquere, non indiguissent alterius cuiusdam nouitate, quæ ad ius commune non accederet, neque etiam huiusmodi aliquam sacratissimæ V.M. cæterique Imperij Ordines concessissent. Ex similibus quoque caussis Regia illa cautio mandatumque extorta sunt, quæ quod illustris. & generosissimo Principi & Duci Braunsuicensi non possunt præiudicare detrimentoque esse, aut etiā obligare, satis aduersarijs sacratissima V.R.M. in præsentia Commissariorum Cæsareæ M. (quum illud illegitime maximoque suo commodo extorquere conarent̄) declarauit & patefecit. Conant̄ aūt aduersarij denuo hic illustris.

Prin-

Principem rebellionis reum facere, ac pœna ruptæ tranquillitatis dignum, quod Goslariensibus bellum indixerit, proferre, quia sacratissimæ R. M. legatis inter alia responderit, semetipsum in banno hoc legitime acquisito manutenturum. Hęc verba (quia maxime ad id, quod intendunt, conferre arbitrantur) sola proferunt, retinent autem (vt solent) quæ proxime sequuntur, atq; illa limitāt, puta, ob singularem tamen sacratissimæ R. M. venerationem, voluntatemq; nulli ad discordias, seditiones, turbas caussam se velle dare, modo per illos huncanimum retinere possit, quæ limitatio manifeste modesteq; satis declarat, nulli damna ipsum inferre voluisse. Ad hæc peregrinum est, qui iuri suo renunciare neq; vult neq; potest, vt is in pœnam ruptæ pacis incidat, alteriq; bellū denunciare præsumatur. Quum tamen cautū sit, quod qui iure suo vtitur, nemini iniuriam facere videatur. Prræterquā quod diuersa sunt, ius suum prosequi velle, & alteri bellum inferre, aliud bellare, aliud ius suū prosequi. Itaq; hęc accusatio & iuri & rōni δὶς διὰ πασῶν (vt est in prouerbio) est contraria, longeq; verius & iuri consonum est, vt is qui ab acquisito iure de facto conatur aliquem abstrahere, seditiosus, & in pœnam iuris (secundum imperatorias cōstitutiones) violatæq; tranquillitatis incidisse censeatur. Sed quod ad confirmationē attinet (qua aduersarij hic gloriant̄) ius aperte decidit. Cōfirmatio eñ ei rei quā cōfirmat, nihil addit noui, & si res quæ confirmatur, per se nulla & inefficax & illegitima est, cōfirmatio eam erigere & validā efficere non potest, verū in ea ęstimatiōe, quā in se habet, relinquit. Quibus vero fundamentis principale ipsum nitatur, superius sat diximus, quare superuacuum foret hoc loco longius ea repetere. Similibus rationibus, honestis equidem & nequaquam mētitis, illegitima quoq; aduersariorum (de qua supra) aduocatio non subsistit. Nam sine consensu partis non potest alicui ius suum auferri, vel litis pendentia, aut executio iuris quæsiti suspendi aut impediri. Quia omnia ista sunt contra ius commune, & ordinationem Imperij. Ad quæ se idcirco illustrissimus Princeps remittit. Et sicuti suspensio & aduocatio illegitime acquisitę, ex dictis caussis inualidæ sunt, ita nequeūt absolutionis beneficium nancisci, præterquam quod etiam Imperij Constitutiōibus cauetur, neminem absq; partium consensu a banno posse absolui, pugnantq; inter se hæc duo acerrime, suspendi, & beneficium absolutionis habere. Suspēsio enim pœnæ tantum

proro-

prorogatio eſt. Abſolutio eſt ad priorem ſtatum & ad oēs actus ciuiles reſtitutio, qui in bannitū cadere non poſſunt,nec ſuſpenſio banni eximit bannitum a banno. Et eſt impoſſibile, & contradictionem implicat,de iure eſſe bannitum & idoneum eſſe ad actus ciuiles exercendum,ſicut contradicunt,ciuiliter mortuum & ciuiliter viuum eſſe. Has aduerſariorū moleſtias ſane perquam tædioſe fert illuſtriſſimus Princeps, non tam quia innumerabilia damna inde accepit,quam quod impunitam aduerſariorum licentiam iuuet,eaq; quę in bonos meditantur,ſemper locū habere. Cęterum vt poſſint cauſſam ſuam, infirmam alioqui & fucatā, probabiliorem efficere,argumentantur a ſimili,& hoc modo concludunt: Si ſacratiſſima Imperatoria M. hac ratiōe,ne partes venirēt ad arma, Goslarienſium poſſeſſorium Auguſtæ anno ſupra ſeſquimilleſimum trigeſimo ſuſpendere potuit,eadem ratiōe,ne partes venirent ad arma, & hanc banni valuit ſententiam prorogare. Ad quæ illuſtriſſimus Princeps reſpondet non dubitans (neque aliter ſagatores quiq; exiſtimabunt) ſi Goslarienſes quid putaſſent ſe poſſeſſorio illo prætenſo potuiſſe obtinere,eiuſmodi remedium minime fuiſſe repudiaturos. Deinde iuris eſt,vt in caſu litigioſæ poſſeſſionis fructus & emolumenta ad cauendum diſſidia a iudice poſſint ſequeſtrari. Tertio, nullius meminit decreti, quo aduerſariorum poſſeſſorium Auguſtæ S. I. M. ſuſpenderit, quin potius conſtituit, vti poſſeſſorium & petitorium ſimul expedirētur, quod ex legitimis cauſſis de iure cuilibet iudici eſt permiſſum,& a quolibet poteſt ita auſcultari, quanto magis id ſacratiſſima V. I. M. auditis partibus in ea cauſſa, habitaq; ſufficienti inſtructione id decernere potuit? Quarto, palam eſt Goslarienſes iam dictum ſacratiſſimæ V. I. M. decretum acceptaſſe, quum per Notarios & teſtes ipſis fuiſſet inſinuatū, illiq; deinceps ipſo facto, ſ. quod ordinatam ſequeſtratiōem multis annis vſq; ſeruauerint, eiuſq; gratia cum illuſtriſſimo Duce concordiam inierint, paruiſſe. Itaque hæc cauſſa cum illa tanquam roſa cum anemona (vt aiunt)confertur. Neq; ex illa ad hanc vllum præiudicium haurire poſſunt, peſſimeq; agunt iniquis his rationibus arguentes. In præſenti enim negocio nulla lis partiū de poſſeſſorio, Goslarienſes tantum illuſtriſſimus Dux ſæpius violatæ pacis reos peregit, ex eaq; cauſſa in bannū coniecit. Quapropter ſacratiſſima V. M. ideo ne partes venirent ad arma,hoc bannum ſuſpendere non po

 tuit,

tuit, verum illos tanquam seditiosos, eosq; qui iniusta arma sumpserunt, virtute obtẽti banni publiciq; pacis ad multorum exemplum & correctionem grauissime punire debebat. Cuius gratia cum omnia iura, tum Imperij Ordinationes sunt introductę promulgatęq;. Si enim eiusmodi excusatiões (quod de iure fieri non potest) valere deberent, raro aut nunquam banna aliæve sententię ad executionem peruenient. Itaq; quorumuis latronum ac scelera torum cateruæ conuentu facto, visaque oportunitate legitimæ pœnæ, atque eius executioni eodem colore, ne partes deueniret ad arma, aduersarentur, ideoq; omnia iura, quę potissimũ ad propulsandum scelera, rebelliones, arma, violentiasq; introducta sunt, supprimentur, honestæ & bonæ leges cum quibusuis ordinationibus, contra earum naturã & proprietatem, sceleratis, seditiosis, violentis factis concederẽt. Cuiusmodi exempla cum aduersarij non infrequẽter factis seditiosis, ideoq; acerrime castigandis, impia, inhonesta, illegitima, non sine graui animarum, corporum, facultatumq; dispendio ędiderunt, eaq; impune, ni dicta iura Imperijq; Ordinationes cõtra huiusmod facinora (sicuti conueniet) denuo in pristinum statum, proprietatẽq; redierint. Deinceps etiam saluum remansit illustrissimo Principi ius banni acquisitum, neq; ei vnquam renunciauit. Cæterũ semper eidem iuriq; cõmuni & Imperij Ordinationibus stetit, quæ minime permittũt huismodi suspensionem ac banni absolutionem fieri citra partium cõsensum. Vnde manifeste sequitur, coactum, prætensum & impertinẽs aduersariorũ argumẽtum, non qdem (vt existimant) a similibus, sed contra a dissimilibus & repugnantibus ductum, nec iuri nec rationi consonare. Et q̃uis Goslarienses dictam metallorũ sequestrationẽ acceptarint, eaq; multis annis in continuo vsu extiterit, nihilo minus tamen sequestrata anno &c. quadragesimo secundo, cum oĩbus accessionibus propria autoritate sibi appropriarũt, qbus adiuti illustris. Principẽ vna cum coniuratis bello petitũ Ducatu eiecerunt. Proborũ quisq; facile intelligit, quã honeste aut quã decẽter egerint, conquerebãt tñ falso de publicis & exhaustis facultatibus, illustrissimoq; Principi accepto impudenter referebant. Itaq; etiã debitus in Turcicam expeditionẽ miles illis remissus est, at q̃ de caussa, nisi vt maioribus p̃sidijs in expellẽdo Duce adessent? Quod si in hoc euẽtu seditiosoq; opere nulla inopia extitit, tñ etiã q̃ debitus in cõmunem Christianorũ hostẽ stipẽdiarius sustentaretur,

retur,reliquum fuit.Et ex eo clare intelligi potest,quibus & quam industrijs actionibus inuigilent,quodque longe aliæ hæ sunt difficultates, hoc est,inopiæ,quam Goslarienses eorumque necessarij protestantes conqueruntur. Verum idem illis contingit, quod plerisque alijs solet vsu venire,qui vbi in capillos hosti inuolarint, vociferantur nihilo minus vim atque iniuriam sibi fieri. Quū ergo sequestrata aduersarij (vti diximus) contra Imperatoriam vestrā ordinationē & consensum propria autoritate diripuerint, incredibilemque summam, etiam octuaginta Dalerorum milia excedentem, ad quam nihil iuris habuerunt, abstulerint,eius etiam subsidijs illustrissimo Duce auitis sedibus expulso, rogat quam humillime illustrissimus idem Princeps,vti compellantur interdicti Goslarienses,quæcunque ita turpiter,viciose,propriaque autoritate a sequestratione abstulerunt,vna cum his quę medio tempore accesserunt,& adhuc accedunt,in priorem statum reponere, atq; deinceps omnia (absque tamen vllo lati banni præiudicio) secundum vestræ Maiestatis ordinationem procedant. Effingunt etiam aduersarij hic nostri artificiosum sane argumentum, dicendo, quod Ordinationes Imperij sint super iure & concordia fundatæ ad violentiarum & scelerum coertionem. Idcirco sacratissimæ vestrę Maiestatis suspensionem ac Goslariensium (vti dicunt nulliter) releuationem non esse contrariam Ordinationibus Imperij, verum iniquam eam & iniustam sententiam. Similiter autē & illustrissimus Princeps Ordinationes ad defensionem bonorum, pœnamq; malorum conditas ait,quodq; per eas non legitimi illius banni executiōis suspensionē pax & cōcordia communiter possit plantari & nutriri. Quum ergo Goslarienses de vi publica fuerint accusati,iuxtaq; tenorem Ordinationum condemnati, quæ quidem condemnatio ad delictorum pœnam pacisque obseruantiam vergit, quid nunc cauillari possunt, suspensionem eam Ordinationibus non cōtrariam,maximeq; ad tranquillitatem conferre,q̄d pręter omnem rationem est? Quis enim prudentū audebit dicere,sceleratorꝝ defensione,maxime vero eorum, qui tales iudicio condemnati sunt & ęstimati, pacem aut tranquillitatem posse sustineri? ni forte hæc aduersariorꝝ mēs est,vt ea quę adfectione quadam partiali, iusta vel iniusta vocāt, calumnioseq; pronunciarent,talia debeant existimari, quo pacto neq; sacratissimarum V.M.neq; Statuum aut Imperij aut Camerę,aliave qua-

nis ordinatione egemus,verum partialibus aduersariorum placitis standum erit,inauditis & caussis & partibus, nec referet,albus an ater quis existat. Quod non tantum cum ratione pugnat, verum ne apud Asiaticum quidem Turcam vsitatum est. Quapropter necessarium non est,vt in huiusmodi temerario aduersariorum argumento diutius immoremur. Neque potest aduersarios releuare,quod inquiunt, Goslarienses contra ius & æquitatem a Cameræ Iudicio in bannnm coniectos, hoc enim nondum est probatum,verum multo magis pro sententia Iudicis de iure est præsumendum,quod ea sit iusta beneque fulminata,quam diu contrarium non probatur,aut decernitur, sicuti ab aduersarijs in hunc vsque diem non contigit,neque etiam continget. Nequit igitur illustrissimus Princeps & Dux Henricus a legitima lati banni sententia processuque desuper emanato deflectere, verum illis etiam nūc & posterius(vti etiā semper)adhęrebit. Sed & Camerę Iudex & Assessores pro facto suo sententiaque per se ipsos absque illustrissimi Principis nostri auxilio,modo eius gratia,via iuris Imperijque Ordinationum accusati fuerint,sat respondebunt,quodque illegitimę hæ rationes,quas aduersarij contra eam sententiam adferunt,ita inefficaces & inutiles sunt,vt facillime a quouis Iureconsulto possint refutari. Itaque necessarium non est de his longius disputare. Neque enim dubitat illustrissimus Princeps,Iuriscōsultos omnes, qui priora præsentiaque scripta aduersariorum legerunt,non posse non plurimum admirari, quod nudas huiusmodi & prætensas, ab omnibusque iuris doctoribus abiectas, pro fundamento adferunt rationes. Ac probe Cameræ Iudex & Assessores cognouerunt,illustissimi nostri Principis & Goslariensium caussas fuisse separatas,neque vnam cum alia quid commercij habuisse aut communionis,illustrissimumque Principem minime fraudulenter egisse, neque illos debuisse expectare.Quod deinde Goslarienses primi,sicuti supra recensuimus,pacē ruperunt. Ad hæc,supradicta maleficia cum senatus Goslariensis scientia,voluntate,auxilioque (quemadmodum & conuicti sunt) perpetrata, citationemque legitime factam. Tertio reos peracto facinore, palam & secure Goslariam venisse, eoque gloriatos. Quarto rapinas illos hastis appensas eandem in ciuitatem palam tulisse. Item senatum Goslariensem manifestos huiusmodi latrones, homicidas & seditiosos cum spolijs non solum recepisse, verum etiam absque pœna in ciuitate vt

ciues

ciues retinuisse,nõ aliter ac probe officio suo perfunctos,eundemque senatum Goslariensem huiusmodi maleficijs viam aperuisse sicarijs istis in eam rem obæratis. Præterea malefactores reseratis portis noctu emisisse. Consulem quoque Ioannem Vueidmannium Archistrategum seu Capitaneum designatum,milites conductos,ciues,& eorum liberos Diui Georgij montem,vnaque & alias collegiatas Ecclesias exussisse, quodq; hæc facta fuerint continua.Denique D.senatum successiuo tempore reliquum diruisse, tintinnabula,plumbũ,ligna, &c. in ciuitatem auecta, quibus propugnacula & mœnia refecerunt.Malefactores inquilinos securos fuisse.Qui potest ergo proferri, bannitos Goslarienses pacẽ minime violasse,aut seditionis pœnã non incurrisse, cum nõ tñ cõstet ruptam, verum etiã seditiosos hospitio collectos in ciuitate scienter passos,eaq; donatos contra aperta constitutionis verba,præcipue vero hæc:Nemo seditiosis consilium,opem,vel aliquo modo auxilium præstet,aut sciẽter eos recipiat,domoq; occultet,cibũ potũq; præbeat,q̃ oĩa aduersarij fecerũt. Manifestũ etiam est,q̃d sub idem tẽpus illustriss. Princeps Goslariensibus bellũ minime indixerat,stipendiarijq; sui ante supra dictas violentias in monasteriũ Reiffenbergẽse nõ venerãt, idcirco excusatio omino inanis est & friuola.Monasteriũ D. Georgij ciuitati viciniũ erat,hoc si Braunsuicensium Dux occupasset,potuissent Goslarienses ex eo immensis damnis affici,ideoq; huius cõtrouersiæ initium dedisse.Consequenter refutãdo id,q̃d Goslariã in bannum ab Imperij Camera nõ potuisse declarari clamãt, licet crudeliter etiã cum illustriss. nostro Principe egisset,sed mulctandã solũ,hoc est,pecuniaria pœna corrigendam fuisse.Respõdet illustriss.Princeps positionem huiusmodi,quod ciuitates aut cõmunitates nõ possint pœnaliter corporaliterque iuxta qualitatem facti puniri,iniquam omniumque Iurisconsultorum opinioni contrariam esse, qui cõmuniter hanc regulam ponunt,quod ciuitates & communitates propter criminum atrocitatem criminaliter accusari & cõdemnari possint, atq; inter alias pœnas recensent earum destructiõem,senum cum paruulis mediæque ætatis hominum expulsionem,& vt vetus est dictũ,aratri subiectione,sicuti Carthagini contigit. Atque hæc quidem constitutio,quanquam apud ethnicos in vsu fuerit,nõ repugnat tñ etiam iuri diuino, inueniturq; in hodiernũ vsq; diem inter Imperatorias sanctiones collocata.Notaturq; in Deuteronomio:

si audieris (inquit Moyses) in vna vrbium tuarum, quas dominus deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: Egressi sunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis tuę, atque dixerunt. Eamus & seruiamus dijs alienis, quos ignoratis, quære sollicite, & diligenter rei veritate perspecta, si inueneris certum esse, quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, omniaque quæ in illa sunt, vsque ad pecora. Quicquid etiam suppellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes, ita vt vniuersa consumas domino deo tuo, & sit tumulus sempiternus, & non reædificabitur amplius, & non adhærebit de illo anathemate quicquam in manu tua, &c. Quæ diuina constitutio non tantum apud Iudæos locum habuisse sit satis, sed etiam (sicut Cyprianus & Canon, si audieris, inquiunt) inter Christianos debet obseruari. Atque adeo hac Goslarienses tum Braunsuicenses & similes extra hanc caussam dudum exterminari meruerunt. Possent hic recenseri & aliæ animaduersiones, quibus ciuitates puniuntur, quasque apud Iurisconsultos reperire non grauate possumus, sed quia abunde satis de his dictum est, necessarium non est, vt diutius hic moremur. Cæterum mirum videri potest, quod aduersarij generaliter ponant, ciuitatem non posse banni sententia puniri, cum tamen Authentica: Item quæcunque, & Authentica: Item nulla communitas, expresse ciuitatibus pœnam banni pro criminum deprehensorum qualitate, sicuti & Imperij Ordinationes irrogent, præterquam quod communis stilus & consuetudo sacri Imperij apud Romanos Imperatores, Imperialemque Cameram, quam diu ea viguit, semper fuit, vti ita castigarentur absque vlla personarum differentia, excepto sexu fœmineo imbecillique ætate, præsertim in caussa ruptæ pacis. Itaque prætensa Goslariensium vel etiam Sturmij propositio, de iure & consuetudine non potest saluari. Quum ergo hæc ita se habeant, qui poterunt honeste Imperialis Cameræ Iudicem & Assessores ob hoc bannum (quod inique fulminatum existimant (culpare, ideoque suspectos habere? Verum inutile hoc hominum genus, ni quod ipsis placeat feceris, alia via non incedet. Sperat tamen illustrissimus Princeps, fecem improbitatis huiusmodi seditiosos aliquando hausturos, omniaque hæc violentiarum consilia in extremum malum non si-

ne

ne proborum maximo emolumento tandem casura, qui tum demum calumnijs vacui feliciores regnabunt. Concedamus nunc illustrissimum nostrum Principem Cameram grauare quondam etiam tulisse. Hoc tamen non tantum contigit, quum Comes a Buchlingen piæ memoriæ, sed & cum Dux Ioannes Palatinus & alij Iudices essent, adeo vt etiam mutuos in se calamos acuerent. Quapropter non egent cæca ea defensione, quam prætensæ religionis prętextu hic adferunt. In caussis purgationis illustrissimus Princeps noster ita valentes exceptiones proposuit, vt etiam a multis non partialibus pro verissimis honestissimisque æstimarentur, neque ea caussa, vti aduersarij inaniter gloriantur, ex parte sua tam mala fuit. Idcirco honeste temperare ab huiusmodi venenatis impurisque iniurijs, quibus Imperialem Iudicē & Assessores asperserunt, debuissent, quas facile in hoc casu eluent. Sed quod aduersarij famæ iudicium aduersus illustrissimum Principem fuisse idcirco dictitant, equidem inficiamur. Neque enim quæ a Lantgrauio, eiusque Ioanne Kochio inhonestis & notabilibus personis originem habet, statim sufficiens est æstimanda, neque interim Lantgrauius se infamiæ notam multis de caussis incurrisse cogitare intendit. Argumentum aduersariorum de Fiscali nihil huc facit. Ita enim & illustrissimus Princeps noster in contrarium arguere potest: Fiscalis vna mecum aduersus Goslarienses iudicium cepit, & non multo post destitit, ergo necesse est Imperij Cameram esse suspectam, & pro Lantgrauio Lutheranisque stare. Et quia patrocinari sibi satis non possunt, adducunt huc missiuas quasdam Doctoris Heldij ad illustrissimum Principem datas, & rursus huius ad Doctorem Heldium. Ad quæ breuiter respondet, licet literæ ita constitutæ essent (nam Doctoris Bockij in fingendis literis imposturæ contrariam præsumptionem faciunt) adhuc tamen firme ex ijs aliud concludi non potest, quam quod Doctor Heldius cura nixus erat, vti sententia illustrissimi Principis aperiretur (quemadmodum & sacratissima V.M. sæpius fecit) hoc non est contra ius aut æquitatem, neque etiam eam (vt colligunt ex dictis literis) practicauit, aut illustrissimus noster Princeps præsciuit, quin potius contrarium clamant. Nam dum scribit fidelem se, qualemcumque sortiretur euentum, remansurum, facile colligi potest, quod de ea nihil præsciuerit.

Pro-

Procul dubio etiam Imperialis Iudex & Assessores tacitum habu ere, etsi illi quoq; illustrissimus Princeps significauit, ita de Goslariensibus sibi prouisum, quod aliquid amplius facere cogerentur. Idcirco tamen aduersariorum opinio non necessario sequetur, eritq; hoc loco interpretatio, non ipsorum, verum illustrissimi nostri Principis. Quum itaq; (sicuti diximus) Goslarienses legitime sint banniti, nõ est necessaria prolixior disputatio, sequitq; ex his, vlterius eius gratia attentata, inualida & nullarum esse virium, de quo supra satis egimus. Sed quid longius circa hanc suspensionem, declarationem, prorogationem, confirmationem, absolutionem, aduocationem, ipsamq; etiam legitime pronunciatam banni sententiam torquemur? Quin ex aduersariorum scriptis manifeste & aperte colligitur, quod ante bannum, eiusq; suspensionem cogitarunt illustrissimum Principem nostrum bello lacessere, lædere, terraq; eijcere. Fatẽtur enim inter alia etiam ante, hoc est, priusquam Goslarienses interdicerentur, bannumq; illud suspenderetur, declararetur, confirmaretur, aduocaretur q;, &c. Goslariensibus & Braunsuicensibus auxilia aduersus Braunsuicensium Ducem se promisisse, adeoq; de eo expellendo certi fuerunt, quod ante effectum seditiosi facinoris collectum militem Imperio etiam cõtra Turcam offerrẽt. Ex quo vel cæcus colligere potest, aduersarios prætensa suspensionis, declarationis, prorogationis, & aduocationis remedia, pro nullo fundamẽto, sed colore quodam, quo simplicibus imponerent, adducere, cuius prætextu Braunsuicensium Ducem expulerint. Itaq; longe antea hanc tragulam texuerunt, atq; idcirco quo Goslarienses fortiores redderentur, multam pecuniam ipsis mutuo dederunt, animoq; deliberato in detrimentum illustrissimi nostri Principis nihil nõ fecerunt, eo Goslariensibus & Braunsuicensibus (qui tamen alioqui haud difficulter etiam accendebantur) tandem adactis, quod vna cum coniurationis suæ popularibus Dei optimi maximi, honestatis, iuris communis, Imperialium Ordinationum, publicæ tranquillitatis, fidelitatisq;, cuius iuramento adstricti sunt, immemores indigna perpetrarent. At quamobrẽ? nisi quia sperabant illustrissimi Principis casu nihil non ipsis licitum impune fore, quanquam etiã hoc impedire, nec in potestate, nec in commissione eius esse potuisset. Aut quia auidum seditionis animum in eo explorare voluerunt, simulq; patefacere, quem laqueum cæteris pararent. Itaq; prætensæ

ſæ hæ Goslarienſium & Braunſuicenſium cauſſæ huc aduerſarios noſtros non adegerunt, longe alia Helena fuit, licet eiuſmodi palpum populo obtrudant, quaſi res aliter, quam ipſi perſuadent, nequeat ſe habere. Ergo principalis hic punctus, in quo inſiſtunt, quæque ſuſpenſionis illius & declarationis & prorogationis prætextu adferunt, earumque contemptu Ducem Henricum in tranquillitatem commiſiſſe, infirmus & inualidus eſt, neque vllo modo aduerſarios poteſt releuare, pro vmbra & fuco tan tum adductus. Ea enim remedia ex ſæpe dictis cauſſis nullam reputationem, nullum valorem (ſicuti aduerſarij per ſe ſatis intelligunt) nanciſci poſſunt. In altero commemoratione quorundam factorum, quæ ſimiliter contra dictas ſuſpenſionem, declarationem, prorogationem ac confirmationem contigerint, conantur ſe adiuuare, aiuntque ſuſpenſionem Duci Hērico fuiſſe inſinuatam, cum tamen verum ſit, eius ſcientiam illum non habuiſſe, niſi tum demum, quum Ratiſponæ iam pridem egerat. Deinde quod aduerſus eam contumaciter ſeditioſeque proceſſerit, Goslarienſibus vias & mercimonia intercluſerit, equiteſque ad ea impedienda or dinarit, qui cum ciues, tum peregrinos læſerunt, abegerunt, æſtimarunt, denique in vincula coniecerunt, hæc & quæ his annexa ſunt, illuſtriſſimus noſter Princeps inficiatur. Et ſi conceſſerimus, vigore tamen banni, priusq̄ ſuſpenſio fuiſſet inſinuata (in quam quoque non conſenſerat) ipſeque illuſtriſſimus Princeps de non nocendo e Ratiſpona Conſiliarijs ſuis mandatum dediſſet, accidiſſent. Pariformiter ad tertium, quartum, quintum, ſextum & ſeptimum articulos (quos Goslarienſes in ſpecie proponunt) reſpondet. Octauus & nonus nihil adferunt, proinde de ijs æquale eſſet iudicium, factaque dictum mandatum præceſſiſſent. Eadem reſponſione contenti ſunt, decimus, duodecimus & decimus tertius. Negatur & vndecimus, alioqui nihil etiam probans, neque enim portarius ille in huiuſmodi rebus mandatū ab illuſtriſſimo Principe accepiſſet, neque aliquid interceſſiſſe aduerſarij (ſicut & alia omnia) docuerunt. Verū Hudtbergiam (hoc enim decimus vult articulus) ad bannitos Goslarienſes ſpectare non concedimus, & contrarium eſt verum. Decimus quartus (quum omnia ora obturare non poſſit) nihil facit. Ea quæ in decimo quinto & decimo ſexto dicuntur, ignorat, neque enim alicuius facti mentionem faciunt. Decimus ſeptimus ad eum non pertinet, eſt enim res inter

F alios

alios acta. Decimum nonum non credit, præterquā quod factum nullum complectitur. Eodem refero vigesimum primū, nam nec his mandatum accessit. Vigesimus secundus & tertius quorundam equitum mentionem faciunt, quæq; illi Goslariēsibus renunciarint, neq; tamen significatur ipsos ad mandatum Principis ea fecisse. Proinde incerta & inania sunt, quæ hic ab ipsis dicuntur, intelligiturq; suspensionem eam (quæ se solum ad Comitia Ratisponensia extendit) illos complecti non debere, vnde etiam sequitur, si quæ durantibus Comitijs aduersus Goslarienses fuissent attentata, ea contraria suspensioni non potuisse videri. Verum hoc loco reticent, quo pacto quum ea Comitia agerentur, banniti Goslarienses militem collegerint, annonam, munitiones, cæteraque necessaria congesserint, in nemora, syluas illustrissimi Principis armata manu irruperint subditosq; ceperint, cæciderint, abduxerint. Ad hæc quo pacto sub idem tempus periuri illustrissimi nostri Principis subditi Braunsuicenses pari bellico apparatu fuerint occupati, subiectisq; illi vnaq; & necessarijs ciuitatem interdixerint. Iā vero quod Ioannes Bremensis & Andreas Pfefferkorn, quia in nemoribus illustrissimi Ducis arbores exciderant, pignora deponere coacti fuere, factam illis iniuriam non existimat. Quę nomine cuiusdam Schildau huc adducuntur, ita accipi debēt. Hic enim prope Hanebergiam in territorio Braunsuicensium Ducis saltuarium eiusdem sphærula transmisit, qui quum ad defensionem proprij corporis vim repelleret, dictum Schildau occidit, quare nulli alij, quam sibi ipsi, necem imputare potest. Ligna, quæ illustrissimum Principem excidisse referunt, e suis nemoribus, non Goslariensium fatetur excisa. Quodque Glockenbergia & Kellershals, ad se tantum, non Goslarienses pertineant, quare necessaria non est hic longior disputatio. Atque ij quidem cum ad Ockeram nullum districtum habeāt, quid est quod Remensneider conqueratur? Quia enim absque consensu in alieno alueo piscabatur, idcirco mulctam incurrit. Quare etiam decimatores partes illas metallicas designarint, aduersarij satis exprimunt, nimirum quia mitti se in possessionem autoritate iuris illustrissimus Princeps volebat, quo facto contra ius nihil est attentatum. Quanquam autem supra dicta suspensio sufficientibus & efficacibus ex caussis (vt audiuimus) manubrium e manu illustrissimi Principis non exemerit, neque enim in eam consen-

sen-

senserat, neq consentire absq incredibili iactura potuit, constat tamen ipsum, a quo suspensio Ratisponæ fuit insinuata, libero principaliq animo, nec alia quauis consideratione, nec etiam voluntate in eam suspensionem consentiendi, officiarijs subditisq suis significasse, ac sedulo iniunxisse, vti Goslariensium Braunsuicēsiumq ciuitatibus annonam frumentacq inueherent, neq his vel exigua damna inferrent. Quod mandatum, cum a Comitijs Ratisponensibus domum rediisset, publice coacto suorum cōcilio renouauit, qui diligentissime paruerunt, neq facto vllo dictas ciuitates læserunt. Vnde apparet quid illustrissimus Dux Henricus sacratissimæ V.M. promiserit, quid non, quodq literæ, quas aiunt ipsum ad præfectum suum dedisse, quæq ille & alij rescripsisse feruntur, post bannum scripta fuissent, & Ratisponēse supra dictum mandatum præcessissent, non ideo colligendum est ipsum fidem promissam violasse, licet in nullo eam quoq obstrinxerit, quum petitam desuper declarationem obtinere non potuerit. Similiter nequeunt aduersarij ex parte epistolij cuiusdam ad doctorem Heldium exarati de viarum interceptione quicquam eruere, verum ex eo manifestius contrarium liquet, licet partim post banni sententiam quoque excidisset. Fabulantur præterea post emanatam declarationem, Imperialia mandata iussionesque contra tranquillitatem publicam Braunsuicensium Ducem temperare sibi non potuisse, sed Goslariensium ciuium & inquilinorum decimas, census, pensiones, prædia, possessiones, nemora, casas & metallorum fodinas occupasse. Næ hic calidum mendacium rursus cretisant. Equidem libēs audiret, quænam illæ officinæ, quæ Goslariensium fuerint metallorum fodinæ, quæve propria nemora, quæ detinuerit. Atqui existimat, quod firme & veraciter nihil horum designabunt, præterquam quod multorum & magnificorum bonorum, quæ in territorio suo sita sint, & ad Goslarienses spectent, sane nulla cognitiōe ducitur. Verum cum dictis ciuitatibus illustrissimus Princeps sic egit (vti supra recensuimus) ac Ratisponensi, Spirensiq Ordinationibus, quas aduersarij earu primi transgressores sollicitauerunt, morem gessit, pacatus vixit, neque vllum belli apparatum habuit, omnem fiduciam in huiusmodi Imperij placita ponens. Contra quæ Goslarienses ac Braunsuicenses (licet grauissimis pœnis sint armata) seditiose, in proprijs hæreditarijsque nemoribus indignis modis temere & barbare

debacchati sunt,saltuarios sphęrulis impetierunt,læserunt, vulnerarunt,aliosque adhuc ministros & necessarios captiuos abduxerunt,durisq; carceribus manciparunt. Quorum illi etiam contra S.V.M.mandata Gandaui & Bruxellæ emissa,oblatumq; ius,illustrissimum Principē innumerabilibus damnis affecerunt. Quibus amplissimam repellendarū iniuriarū occasionem illi dederūt, quam tñ deuota sacratissimarū M.V. veneratione obediētiaq; remisit, quo cōmodius sacro in Imperio pax & tranquillitas posthabitis seditionibus introduceret. Atq; idcirco in cōmunem pacem supradictasq; ordinatiōes, quæ ipsimet (vt diximus) extorserunt, fiduciam omnem posuerat,quas minime omnium ab aduersarijs obseruatas testantur manifesta illa, immania & crudelia facinora. Ad pleniorem prætensorum grauaminum corroborationem referunt se aduersarij ad Baronem de Seyssenecк, aiuntque eundem a sacratissima vestra Maiestate ad inquirendum in arcem Vuolffenbuttel & ciuitatem Goslar emandatum, eaque ita comperta procul dubio sacratissimæ vestræ Maiestati retulisse. Negare equidē non possumus,dictum Baronem eo, sine tamen illustrissimi nostri Principis,etiā tū pręsentis scitu,postulantibus hoc fraudulenter & dolose aduersarijs(quapropter & ea cōmissio nullarū viriū fuit) profectū. An aūt ea grauamina (vti supra relata sunt) in veritate ita constituta inuenerit,adhuc in lucē nōdum prodijt, illustriss.q̊q; noster Princeps neq̄ credere,quū contrariū nō ignorat,quemadmodū dictus Baro a Seyssenecк poterit testari. Alioqui cur deprauata cōsuetudine publicā ædition ē ea de re nō sunt experti? aut cur dubitatiue proponunt? (procul dubio ingentes) si vero de huiusmodi relatione incerti fuere,q̄d ita cōstanter veritatem asserunt? Ab ineptijs his magna cum laude aduersarij (si saperent) abstinerent,prǽterq̄ q̄d in suspensiōem,vt sæpe diximus, illustriss.Princeps non consensit. Referunt se q̊q; ad Eberardum a Frexberg armatæ militiæ eq̄tem,& doctorem Kneller,responsio neq; quæ illis facta est,quod vero his volunt argumētis tanta crimina impingere,næ,quod dici solet,laterem lauant.Quod em̄ verbum in ea responsione non est plenum humanitatis? concordiæ? & beneuolentiæ? Nulli se ad tumultus seditionesq; ansam daturum respondet facileq; passurum,vti futuris Comitijs negocium amice transigatur. Ad hæc, etiam quiescere vellet,si forte quid vtilitatis inde oriri posset. Verum (quemadmodum & aduersarij)

ad

ad supra dictos sacratissimæ V. M. Commissarios hæc remittit, animoq; æquo tolerare potest, vt interrogentur, neq; enim aliud reuera, quam illustrissimum Principem, probe, honeste, sufficienter egisse, & se obtulisse confitebuntur. Manifestum nunc est, duobus hisce documentis nihil aliud facere aduersarios quam fucare, dareq; operam, vt quam maxime possit, impura accusatio nitescat. Recensent deinde facta quædam, quibus crudeliter, seditiose, violenterque Braunsuicenses vexarit. Verum vt cuilibet manifestum fiat, quo pacto hæc se habeant, quodq; meras calumnias nectant, omnium primum inquit; ciuitatem Braunsuicensem immediate & absque vlla contradictione in suo Ducatu sitam, consules, senatores, priuatos erectis digitis, Dei optimi maximi sanctorumq; interuentu fidelitatem & obedientiam vsq; ad vltimum vitæ diē, in ea forma, qua & prædecessoribus suis vltra hominum memoriam maiores iurarunt. Præcipuos ibidem suos vasallos siue feudatarios esse, an ergo decuerit huiusmodi necessitudinis & iuramenti immemores contra dñm autoremq; beneficij cum extraneis Protestantibus cōspirationes & fœdera copulare, neq; eo contentos esse, quin & periurium periurio duplicādo dñm assalire, socialibus armis Ducatum eijcere, & quantum in ipsis fuit, laniæ offerre, honesti viri iudicium esto. Certe proditionem, Iscarioticamq; huiusmodi fidem, probor quisq; tm̄ abest ut probet, vt etiā quouis angue peiorē detestet. Veruntamē ne sacratissima V. M. rebus minus necessarijs grauetur detineatq;, fatetur illustrissimus Princeps noluisse se vti ijs, qui extra ciuitatem Braunsuicensem agebāt, sacramentis aliter q̄ Christiana Ecclesia communiter instituit, vterenē, quæq; præterea in genere & in specie aduersarij proponunt. De monasterio D. Egidij eiusq; bonis, de iure patronatus, parrochijs, & de subsidijs, & seruitijs, de arrestatione, de castro Amplenen, de nemoribus, de exulantibus ciuibus, de acceptis ouibus, q̄dq; e ciuitate ad iudiciū sui territorij q̄dam citati fuerint, & si q sunt alij pūcti vel articuli, q̄bus illustrissimus Princeps pulsatē, quondā etiā corā sacratissima V. M. Gādaui producti, vbi auditis vtriusq; partis propositiōibus, Braunsuicensiū calūniæ eidē displicuerūt. Et vt ab ijs desisterēt, fidelitatemq; illustris. Principi tanq̄ dño & superiori suo præstarēt, sedulo iniunxit. Se nō posse subiungens in huiusmodi euentu æquis præsidijs, auxiliaribusque copijs illustrissimum Principem, quem in ius & æquum con

 sen-

ſentientem haberet (ni ſaperent) defraudare, ſicuti teſtantur literæ quædam, quæ ad Braunſuicenſes idcirco ſcriptæ ſunt, quarum copia nunc V.M.exhibetur. Quo pacto autem morem geſſerint, & mandatis, commiſſionibus, ſententijs veſtræ Maieſtatis paruerint, ad longum eidem poſtea fuit relatum. Vnde apparet, ea omnia inania, futilia & iniqua eſſe, debuiſſentque merito huiuſmodi recenſentes, conſpectum ſacratiſſimæ veſtræ Maieſtatis erubeſcere. Iam vero cauillantur etiam ſancti Aegidij monaſterium ad illuſtriſſimum Principem non pertinere, Hudtbergiam alienæ Iuriſdictioni ſubeſſe, quodq; in ea communem non habuerit ſemper cædendi ligna vſum, longiſſimoq; tempore comprobatum. Atqui horum gratia ſacratiſſima veſtra Maieſtas Braunſuicenſibus reſcribere, vt ab iniuſtis cœptis diſcederẽt, compulſa fuit, quod ex illarum literarum copia, quam hic proferimus, ſacratiſſima V.M. intelligere poterit, & ex ijs quę idcirco ab eadem S.V.M. ciuitatibus Magdeburgiæ, Hildesheimio, Gottingiæ, Hannoberiæ ſcripta ſunt, noſq; in tertium copiarꝫ ordinẽ collocauimus. Quod vero Braunſuicenſes Ducẽ Luneburgenſem dñ̃j Braunſuicenſis condominum eſſe aſſerunt, minime omniũ fatemur, neq; vnquã poterunt id cõprobare. Illud medius fidius cõſtat, Braunſuicenſes temerario auſu, auida malorꝫ licentia, venenata nocẽdi cupiditate, Iuriſdictionũ, præfecturarꝫq; illuſtriſſimi Principis, quæ in arce & monte D. Cyriaci intra & extra mœnia ſita ſunt, ad derogationem & diminutionem earundem Iuriſdictionum præfecturarꝫq; ſacerdotes amãdaſſe, e ciuitate eieciſſe & proieciſſe, habitationes, domus, prædia, hortos, prata, omniaq; eorꝫ iura bene parta bonaq; fide poſſeſſa & præſcripta occupaſſe, illuſtriſſimo Principi ac ſubditis illius in eorꝫ nemoribus, agris, pratis, paſcuis, magna cum deuaſtatione & noxia, irrecuperabilia damna intuliſſe. Deinde cum parrochi ſecundũ antiquã catholicæ Eccleſiæ & laudabilem cõſuetudinem glorioſiſſimũ corporis Chriſti ſaluatoris noſtri ſacramentũ circũferrent, tanq̃ ad ſpectaculum e ciuibus aliqui egreſſi iniurioſis verbis, illuſionibus, cõtumelijs, ſacerdotibus inſultarunt, nec nõ & ſaxis impetiuerunt, grauiterq; vulnerarũt. Quæ violentiæ horrendaq; facta quũ ad cõſulem & ſenatũ ſæpius referrent, & amice de huiuſmodi exceſſibus cõquererẽt, vindicationis tñ̃ ceſſationisq; nulla ſpes reliqua foret, quis illuſtriſs. Principem culpare poteſt, ſi Braunſuicenſium quoſdam ad defenſionem

nem

nem sui iuriumq; subditorum suorum,tũ bonorum eorũdem protectionem,præcipue vero Christianę religiõis,ex territorio ac Ducatu suo legitime proscripserit,interfuerit licet eorum Respõsalis? Nihil enim aliud is faciebat,quam irridere & contemnere iudicium, q̃d alioqui longa cõsuetudine & vetustis moribus inualuerat. Ergo si qui ob caussas supra dictas proscripti sunt, dignã factis mercedem reportarũt.Quin etiam quum ijdem e ministris suis quosdam & familiaribus(qui in ciuitatem cõuiuæ nuptiales venerãt) in vincula coniecissent, immeritosque torturis & quæstionibus suppo suissent,an non potuit horum liberandorum gratia aduersarios defensiue captiuare? Similiter actum est cum agrestibus in Amplenen, puta secundum loci consuetudinem , non contra ius. Quod vero eo in loco illustrissimus Princeps ius habeat,sacratissimæ V.M.Gandaui ad longum exposuit. Præterea quamuis inter illustrissimum Principem & perfidos suos subditos Braunsuicenses compositio tractaretur,eaque posthabita magis impense vexare illum ceperũt,ad impediendũ etiam cõpositionis fructum (quem anxie metuebant)collegiatas illustrissimi Principis Ecclesias obserarunt,cantum,lectiones, cæteraq; diuina ministeria, cæremoniasq; interdixerunt inductis concionatoribus quibusdã Lutheranis.Sic itaq; libidinem suam in contemptum,iniuriam & detrimentum illustrissimi Principis suorumq; affinium explerunt. Quid nunc eum accusare possunt, quod ad sustentionem in eo loco antiquæ,catholicæ veræque nostræ religionis, census & bona ipsorum detinuit, quod quidem absque vllius iniuria fieri quis est qui ignorat? Quod vero dictæ compositionis tempore (secundum aduersariorum relationem) iam hunc,iã illum illustrissimus Princeps apprehenderit,minime fatemur,ac fit ei in hac parte iniuria. Ad punctos ex fundi permutatione deductos respondet,eam citra cuiusque consensnm non fuisse attentatam, & ideo ea longe a vero aberrare. Deinde non existimat vllam se nouam,neque antea inconsuetam pœnam irrogasse.Quia autem vasta quorundam prædiorum ædificia extrui denuo curauerit, fecit rem Principe & domino non indignam,cuius maxime interesse existimat, sicut etiã ab antiquo obtinuit,vt quam populosum habeat territoriũ.Ouiariæ(de quibus itidem deblaterãt)in territorij sui finibus existũt,quibus in locis q̃lidet etiã antea tẽpore pastiones esse cõueniebat,nõ ergo in prœiudiciũ alicuius greges eo dedu-

cti,

cti,quæ contra ab aduersarijs adferuntur,oīno inania sunt. Quod pontes quosdam, qui ex gratia & pmissione structi erāt,deturbarit,non inficiatur,modo hac ratione sciant factū,vectigalia Braunsuicensium forte consilijs incepisse desinere, necp regia hac via homines amplius incedere voluisse.Equites aliquot in suo territorio alio consilio, quam ad securitatem Ducatus & viarum tanquam custodes,ordinatos & constitutos fuisse negat. Contra vero quo animo e Braunsuicēsi ciuitate egressi quidam regressique post & ante facinora,illustrissimi Principis vias obsederint, ambulantes homines bonis suis prædati fuerint,Braunsuicensibus haud clam esse poterit. Eorū igitur factis inductus, huiusmodi equitum absens dispositionem fieri curauit.Supradictis omnibus annectunt, illustrissimi Principis mandato BRAVNSVICENSES verberibus sæpius male tractatos, hoc neque fatemur, neque aduersarij docebunt.Manifestum tamen est Braunsuicenses Lutheranos quosdam concionatores in Iurisdictionem Asseburg & Aichen intrusisse,atcp alios infidelem huiusmodi doctrinā(quod quidem multo ante declarationem contigit,& priusquam sacratissima V.M.Gandauum appelleret) concionari & obseruare vi compulisse.Iurisdictionum autem earum proprietas ad illustrissimum principem spectat,supremumque ibi imperium abscp vlla contradictione prædecessores sui hæreditario iure semper habuerunt. Ecclesiastica beneficia semper ab his concessa. Iam quum Braunsuicenses citra illustrissimi nostri Principis ipsorum domini voluntatem & permissionem in ciuitatem (cuius imperium habet)doctrinam & sectas Lutheranas inuexissent, parrochialibus Ecclesijs,quæ iure patronatus eiusdem fuerunt, monasterijs, vnacp & alijs tēplis,vbi calices,vestes sacræ,magnicp precij mysteriothecæ abundabāt,deinde censibus redditibuscp in totū ipsum despoliassent, diuina ministeria, Christianas cæremonias, verācp doctrinā proculcassent,quæ quidē(vt par fuit) illustrissimo Principi supra quam dici potest,displicuerunt,Consules totuscp senatus pepigerunt nullam amplius religionis se nouitatem, non tantum in dictis sanctorum Blasij & Cyriaci intra & extra mœnia suis Ecclesijs,sed nec in territorio quidē latius diuulgaturos. Quam honeste ergo & laudabiliter contra huiusmodi pactum schismaticos doctores in supra dictas Iurisdictiones intruserint,& reliquos etiam ad eam disciplinam suscipiendam coegerint (quod certe ex

caussis

caussis iam relatis facere non potuerunt) sacratissimis V.M. cæterisque non partialibus discutiendum relinquit. An non aliunde petitæ, seditiosæ, prophanæ nouitati se opponere illustrissimus Princeps debuit? maxime cum Braunsuicēses omnem mouerent lapidem, quo subditos suos ab antiqua, vera, Christianaque fide, a debita fidelitate in damnatissimas doctrinas seducerent. Itaque habet illustrissimus Princeps, quo Braunsuicenses accuset, non ij, quibus non erat exterminata religio, admissaque rebellio, nisi & eos qui extra ciuitatem morantur, illustrissimi Principis subditos sectis huiusmodi & rebellionum escis facile auscultantes irretirent. Enimuero si Ecclesiastes illi prætensi IESV CHRISTI Euangelium germane concionati fuissent, ac sacramenta iuxta ritum & ordinationem catholicæ Ecclesiæ distribuissent, medius fidius ab huiusmodi facto non abhorruissent. Verum quum suppuratas tantum doctrinas, dogmata, cæremonias, sectas & schismata buccinarent, iustissime (sicuti Christianum decet Principem) huiusmodi contagijs obuiam processit. Neque debent Braunsuicenses illustrissimo Principi imperij modum vel formam præscribere, neque enim hic illis, verum huic illi (vt diximus) subiacent, nisi forte secundum prætensum horum Euangelium omnia præpostero ordine incedant, quod tamen secundum verum Euangelium fieri non potest, hoc etiam pacto Euangelici nomen (quamuis se illo supra cæteros iactent) nunquam induent. Illustrissimus Princeps non aliter ac debuit, regnauit, nec maiorē ad tollēda Ducatus sui grauamina, ab Ecclesiasticis & prophanis personis summam extorsit, quam communes Status, prælati, nobiles, vniuersitatesque ciuicæ (inter quas & Braunsuicensis fuit) consenserunt. Itaque aniliter fabulantur, illustrissimum Principem Ecclesiastes eneruasse in propria caussa malitiam suam arguentes. Maximum sane dispendium foret, si vt Braunsuicēses, ita & equi laberent, alioqui ferratarum calcium quis modus? Braunsuicensium villicorū dominum præter se illustrissimus Princeps non agnoscit. Nam & in Ducatu suo degunt, deinde præceptis & inhibitionibus subseruiunt. Simili modo de exactione loquitur, nullam enim aliam imposuit, quam eam, cui communiter Ducatus sui Status subscripserunt, ita enim & in alijs locis contingit, neque huic Braunsuicenses secūdum antiquam consuetudinem se opponere habent. Nec recordatur quosdam e subditis in vincula, præsertim ex allegatis aduersario-

 rum

rum & prætensis caussis coniectos, nisi eos qui Braunsuicensium instigationibus conuenticula fecerant, quique turbulenti & seditiosi fuerant. Hoc enim omne ius, æquitas & honesta ratio permittit. Cuiusmodi vero illud consilium fuerit, quod subditos illustrissimi Principis a Iurisdictione sua abstrahere tentarint, hoc est, omnia flagitij & rebellionis genera inter eos excitarint, supra dicta perfidia ac iuramenti violatio facile declarat. Itaque, vt diximus, nullius incarcerationis meminit, nisi eorum, qui Braunsuicensium instigationibus ad seditionem conuenerant. Atque hoc potissimum est, quod in periuris suis subditis Braunsuicensibus reprehendit conqueriturq́, quia videlicet ad rebellionem conuenticulas secessiones reliquas instigarunt. Siquidem hoc consilium fuit, vti se exactioni, quæ in Turcam anno quadragesimo secundo ex Imperij Ordinationibus debebatur, opponerent, nullaque deinceps præstarent obsequia, longissimo ac perpetuo vsu consueta, tum si vincula vel pignora minitarentur, flocci ea penderent, atque in euentum facto concursu eos, quibus executio committeretur, occiderent, quibus ita strenue peractis, & cum pecoribus & fortunis in ciuitatem commigrarent, ibi ipsis tutum refugium fore. Quod quidem consilium non multo post, vbi conuenissent constituto die locoq́, intra syluam prope ciuitatem Braunsuicensem, quæ Hesen appellatur, quo multis cum milibus concurrerēt, designato, sequi decreuerunt. Atque hæc paulo citius, quam illustrissimus Princeps Ducatu eijceretur, contigerunt. Satis eo facto ergo ostenderunt, quem animum erga superiorem gesserint. Accusat ad hæc illustriss. Princeps, q̄d quædam cōtra prædecessorum suorum suaq́ pacta, siue literarias obligatiōes in Braunsuicēses cōmiserit. Hoc crimen aliaq́ ante Ratisponēsia, Spirēsiaq́ Comitia moueri cœperūt. Cūq́ Gandaui partim (sicuti supra recensuimus) ad sacratissimā V.M. referrent, post plenariā instructionē cognitionemq́ caussæ Braunsuicensibus sedulo iniunxit, vti ab huiusmodi molestijs (q̄bus illustriss. Principē vexabant) tēperarent cū eiusmodi iuris oblatiōe pro D.S. illustriss. Si q̄d ius de quacūq́ re vel facto cōtra se mutuo haberēt, sacratissimā V.M. iudiciali potestate decisurā. Braunsuicēses ergo si quas putabāt se petitiōes habere, eas semp̄ actiōibus expiri potuerunt, præterq̄ q̄d has atq́ huiusmodi caussas Ducatus sui Ordines ad se reuocarāt, q̄ tp̄e honestis medijs in cōpositionē descēdere nō refragabat, quā nō tm̄ Braunsuicen-

uicen-

uicẽſes nõ receperũt,verũ etiã vltra ſacratiſſimæ V.M.mãdata,ob•
lationẽq; iuris,quoſdã illuſtriſs. Principis miniſtros ac familiares,
q(vt ſupra dictũ eſt)vt nuptiales conuiuæ optima fide in ciuitatẽ
venerant, captiuarunt,verberarunt, vinculis ac quæſtionibus cru
deliſſime fatigarunt. Sub idem tempus (hoc eſt, cum compoſitio
ea tractaretur) ſupradictas quoque collegiatas ſanctorum Blaſij
& Cyriaci Eccleſias pertinaciter obturarunt, prohibitis, lectione
cantu,cæterisque catholicis cæremonijs & miniſterijs. Et quam•
uis ſacratiſſima veſtra Maieſtas contra eos mãdatum quoddam
pœnale(vt ſupradictas Eccleſias reſerarent,illuſtriſſimumq; Prin
cipem ante omnia in integrum reſtituerent) euulgaret, nihilo ta•
men minus contumaces eſſe, imo magis atque magis malefacere
perrexerunt,illuſtriſſimo interim Principe præceptis ſacratiſſimę
V. M. inhibitionibusq; obſequẽte,neq; poteſt diuerſum ab vllo
efficaciter,quodque ab eo tempore,a quo mandatum huiuſmodi
accepit,quicquam cõtra ea molitus fuerit,proferri. Vnde Braunſ•
uicenſes non tantum Eccleſias nõ patefecerunt,aut illuſtriſſimum
Principem ſuosque neceſſarios in integrum reſtituerunt, verum
longius progreſſi alios (quos ſupra narrauimus) e Iuriſdictioni•
bus & prefecturis eiecerũt,alios captiuos abduxerunt,alios vi cõ•
pulerunt in compoſitionem ſecum (quam ipſi volebant) in præ•
iudicium & diminutionem ſuperioritatis & Iuriſdictionis illu•
ſtriſſimi Principis deſcendere,ſicuti omnes ij caſus in quodam pe
titionis ſcripto ſacratiſſimæ V. M. Ratiſponæ oblato latius re•
cenſentur, cui etiam Braunſuicenſes ſæpius interpellati nec potu•
erunt nec voluerunt reſpondere. Neque ijs ſatiati,deinceps etiam
finitis Comitijs Ratiſponenſibus & Spirenſibus ſtudioſe ope•
ram nauarunt, quo pacto illuſtriſſimi Principis ſubditos, nobi•
les, ciues & agreſtes (vt quoque ſupra dictum) ad ſeditionem re•
bellionemque excitarent, quæ in effectum poſtea deduxerunt.
Ad hæc illuſtriſſimi Principis Theſaurarium(qui in ciuitatem ar
genti commutandi auro gratia, quo facilius militi in Turcam a•
mandato numeraretur, ſecurus venerat) in grauiſſimos carceres
coniectum diu detinuerunt, neque interea ocia Goslarienſibus
agentibus, qui magna tum manu in nemora illuſtriſſimi Princi•
pis impetum fecerunt, Saltuarios præfectos pulſarunt, vulnera•
runt, trucidarunt, denique varia maleficiorum genera exercue•
runt. Conſequenter proponunt Braunſuicenſes, anno quadra•

geſimo ſecundo aliquot ipſorum cereuiſiæ plauſtra ab illuſtriſſi-
mo Principe fuiſſe detenta,ad hæc reſpondet, quum ad ciuitatem
Branuſuicenſem veherentur, eorumque prætextu aurigæ exter-
na etiam mercimonia a Theolonio ſaluare conarentur, perſpe-
cta fraude, non inique factum. Quod vero quid amplius illis
contigerit, vel quod etiam aurigis prælectum fuerit, quod Euan-
gelici iſtic detineri deberent, certe negatur, nec etiam & alijs tem-
poribus idem frequentatum eſſe aduerſarij docebunt, quibus il-
lo etiam facto nec iniuriam nec damnum intulit. Reliquorum ar-
ticulorum, qui de Anthonio Gebalt & Theoderico Storing lo-
quuntur, nullam habet illuſtriſſimus Princeps ſcientiam, neque
videt quid detrimenti inde ceperint. Cum villico Bronzemio res
ſe aliter habet, neque enim in vincula fuit coniectus, quia in fundi
diuiſionem non conſenſerat, ſed quia ſulcorum vicinorum fines
transſilierat,bonamq; partem ex agro proximo attriuerat atq; in-
teruerterat, deinde (quũ iudicialiter idcirco caſtigaret̃) eiuſmodi
pœnæ ſe cõtumaciter oppoſuerat. Ex hoc loco etiã apparet,quãta
diligentia Braunſuicẽſes tentarint illuſtriſs. Principis ſubditos re
belles efficere. Quod vero aduerſarioꝝ quoſdã graſſatoꝝ ſine du
ces ſiue Catilinas appellauit,eosq; oblitæ neceſſitudinis,obliti iura
menti & fidelitatis criminatus eſt,ſecundũ facti qualitatẽ,reſpectu
boni publici aliter huiuſmodi hoĩes deſcribere nõ potuit,neq; ad
huc(ſi velit) poteſt. Qui em̃ harũ ſeditionũ autores fuerint,ſupra
doctũ eſt, neq; dictũ illuſtriſs. Princeps inficiat̃,cui etiã hoc addit,
ſceleratiſſimę eoꝝ volũtati nondũ ea appellatiõe ſatisfactũ,poteſt
em̃ magnũ adhuc articuloꝝ aceruum adferre,q̃bus ſe grauatũ co
gnoſcit. Quomodo cogitarint appellationũ cauſſas aliaſq; Iuriſdi
ctiões ſibi abſtrahere,debitaq; in Turcã pręſidia recuſarint. Nam
cũr huiuſmodi nõ moliant̃, cũ ne a mortuis quidẽ abſtinuerint?
Vt em̃ repetat horrendũ hoc loco facinus, q̃d neq; poteſt neq; de
bet ſacratiſſimas V.M. Electores,Principes & Status celare. Quũ
arcẽ Vuolffenbuttel obſiderẽt,ſepulchra iã recẽs defunctæ & cõ-
iugis & filiæ ſuæ (quoꝝ etiã apud ethnicos ſumma fuit religio)
impijs manibꝰ ſeditioſi hij noſtri aduerſarij vel eoꝝ neceſſarij eru
erunt,itaq; inhumata corpora,nondũ etiam cõſumpta,ſaluo ſacra
tiſſimaꝝ V.M. Electoꝝ,Principũ & Statuũ honore, a ſuibus cõ-
pta, direpta comeſtaq; ſunt, q̃ honeſte,pie vel Chriſtiane egerint,
etiã pueri odorari poſſunt. Ex his oĩbus (licet illuſtriſs. Princeps
iuſtiſſi-

iustissime cōmoueri debuit,ob Germanicæ tñ nationis tranquilli tatem huiusmodi iniurias patienter tulit) apparet ea,quæ turbulenti nostri aduersarij de Braunsuicensibus hic adstruunt, mera commenta esse,neque illorum vnquam sibi conscium fuisse,& alioqui etiã suspensionis & declarationis tẽpora præcessisse,q̃dq; illi ipsi contumaciter multa in illustris. Principem eiusq; subditos & affines in contemptum sacratissimarũ V. M. concessorũq; desuper mandatorũ commiserunt, omnia rationabilia media recusantes indulgentesq; ingressæ semel malitiæ contra fidẽ & præstita iuramenta, quorum vinculo illustrissimo Principi alligati sunt. Quæ cum ita sint, cui non videat absurdum Braunsuicensium huiusmodi factis improbas seditiões velle excusare? Cęterum ponamus (quod tamen minime omnium fatemur,cõtrarium eñ ex omnibus & singulis supra dictis caussis elucescit) ita vt aduersarij proposuerunt,oĩa accidisse, non tamen cõueniebat eos auida illa libidine,propria autoritate, indicta caussa, ordine iuris nõ obseruato illustris.(citra iactantiã)catholicũ,fidelẽ,honestum,generosi & vetusti sanguinis virum, Imperijq; Principẽ, qui terram, populum,Ducatũq; suum a sacratissima V.M. sacroq; Imperio in feudum acceperat,bello lacessere,vestroq; beneficio priuare,neque facta etiam huiusmodi erant. Si putabant ipsum officio suo non probe perfunctum,cur non ordine iuris, eaque via,quæ legibus Ordinatiõibusq; Imperij præscripta est,quaq; oportuit,properarunt? quæ sane aduersarijs tantã licentiam executionemq; earum rerum,quarum ordinatio penes alios est,non permittũt:maxime vbi nulla legitima caussa subest,sine qua supremæ etiam potestati prætextu executionis nihil conuenit attentare, vt hic etiam consideremus, quid facere aduersarios præter iura & Ordinationes Imperij vigore Ratisponensium, Spirensiumque placitorum ab ipsis potissimum sollicitatorum decebet,quibus cautũ est, ne quis in Imperio seditiones,turbas, bella suscitaret, quod decretum quia inter alia q̃q; violarunt, ex hac parte quam decẽter quãque honeste etiam egerint,sacratissimis V.M.Electoribus, Principibus, cæterisq; Imperij Statibus relinquo. Iam vero plane labores ferunt, & (vt dicitur) inaniter vndas consumunt, quod defensionis prætextu defendere se nitũtur. Neq; enim negari potest, quemadmodũ etiã de facto notoriũ fuit,illustris. Principẽ belli apparatũ nullũ habuisse,neq; dictas Braunsuicensiũ & Goslarien

ſium ciuitates læſiſſe,omnem enim ſpem in Spirenſem tranquillitatem collocarat,idque vt faceret, a quibuſdam non leuibus Imperij Ordinibus cõmonitus. Vbi autem nulla damna,nullus exercitus, nullus belli apparatus præcedit (ſicut in hoc caſu accidit) ibi nec defenſio,aut violentiæ repulſio poteſt eſſe, alioqui etiam ob facti qualitatem omnino inæqualis & culpabilis. Rurſus quo pacto ij ſe defendere dici poſſunt, qui alium Ducatu, bonis, fortunisq; exuunt? Enimuero non exiſtimat illuſtriſſimus Princeps ſacratiſſimæ R.M.(quandoquidem proponunt aduerſarij ſeditioſum huiuſmodi conſilium eidem ſe aperuiſſe) permiſſione hæc facta. Cogitare enim nequit, qua ex cauſſa in tantam indignationem incidiſſet,quod quoque ex multis cauſſis honeſte indulgere non potuit. Porro conſultior illuſtriſſimo Principi (ſicuti aduerſarij fabulantur,ni conſtitutam pacem & quorundam hominum admonitiões ſequi magis voluiſſet) militum erat apparatus, prorſus apud Deum & homines inculpabilis, neque enim e Ducatu ſuo extorris, humanarum rerum ſpectaculum modo præberet. Nunc vero inconſulte & temere ſeditionis arguunt,omnino ocioſum,& nihil minus quam huiuſmodi aliquid cogitãtem, ſaltem vt eo prætextu ſua malefacta colorare poſſent. Sed quia per ſe ſatis intelligunt, ſupra dictis omnibus culpam ſatis remoueri non poſſe,conantur primum e literarum quarundam centonibus & particulis, quas quidem in Cancellaria poſt deditionem & pacifragam arcis Volffenbuttel factam vinoſam occupationem inueniſſe ſe dicũt,illuſtriſſimi Principis animum eruere, quod non tantum ſupradictas Braunſuicenſium & Goslarienſium ciuitates expugnare,verum omnes coniurationis populares bello laceſſere, ſeditiones in Imperio excitare, ſacratiſſimãq; V.M. eodem falſis aduerſariorum criminibus circumuentum agere cogitarit. Quæ omnia proferunt,vt aliquam tantum fidem ſiue perſuaſionem apud ſacratiſſimas V.M. Electores, Principes & Status phaleratæ inualidæq; huic excuſationi aucupentur,quaſi vero illuſtriſſimus Princeps ſacratiſſimarum V. M. primatum aut reputationem læſiſſet. Non dubitat autem ſacratiſſimas V.M. vnaq; & Electores, Principes & Status ex ſingulari prudentia ſatis intelligere, applicationem harum literarum ſiue particularum (quãdoquidem eas antea, neq; nouerunt, neq; viderunt, verum confecto negocio primum violenter acquiſierũt,quas tamen eatenus agnoſcit,quatenus

nus

nus veritas patitur) aduersarios ad purgationem illatæ violentiæ nihil adiuuare, neq́ posse, tanquam ex post facto emersæ, vllo modo allegari: præterquã quod etiam originalia illustrissimus Princeps non vidit, quæ etiamsi in promptu essent, non tamen ad suspicionem sufficientes esse possunt. De quibus talis quoque præsumptio est, quod partim secundum aduersariorum consuetudinem vel excogitatæ sunt, vel ad minimum adulteratæ. Siquidem notoriæ sunt Lantgrauij cum doctore Bockio in falsandis literis imposturæ, quibus etiam occasionem hausit (sicuti supra recensuimus) bellum tribus illis Episcopis indicẽdi. Neq́ eo cõtentus, verum vna cũ præfato Bockio consilium cepit apud Angliæ regem, vti sacratissimæ V. M. hereditaria Belgica, seditiõe & tumultu excitato, occultis machinis occuparet, ad quam rem noĩe plurimorum Imperij Statuũ falsas singulariter literas effinxit. Verum hic tandem in custodias apud Brabantinos dimissus oẽm rem patefecit, itaq́ in partes quatuor sectus est, sicuti cõfessio eiusdem de Lãtgrauio circa maleficium suum latius declarat, idque sacratissimæ V. M. rectores Belgici non ignorant. Est & alia caussa, cur peregrinas huiusmodi res ad hãc caussam magno clamore, nimia subtilitate, impertinenti interpretatione adducũt, in odiũ & inuidiam illustriss. Principis sacratissimam V. M. his posse cõmoueri credũt. Vnde sibi persuadent fieri non posse, quin fidem faciant, hæc ita, ac recensent, se habere, quodque intendunt, consequi debere, nullo ad hæc vsque tempora euentu fraudati. Sacratissima tamen V. M. ex ijs, quæ proxime diximus, satis perspicit, minime oĩm illatam violentiã hoc modo purgari, quã quidẽ illustrissimus Princeps falsis huiusmodi literarum interpretatiõibus, earum ve particulis in indignatiõem ita leuiter proruptură nõ cõfidit. Nam si integræ proferrentur, profecto longe alium intellectum, quam magis aduersarijs obesset, quam prodesset, secum adferrẽt, multũq́ aberrarent calũniosæ hæ interpretatiões. Quin potius sacratissima V. M. fidelissima illustrissimi Principis obsequia ante oculos habebit, quæ quidem (vt citra iactantiam proferantur) grauissimis fortunarum iacturis, anxijsque & vitæ & corporis discriminibus comitata, in rem sacratissimæ V. M. Imperijque frequenter assumpsit, neque adhuc, vbi vsus & tempus postularint, cõmodis eiusdem sacratissimæ V. M. inseruire recusabit. Cuius & Imperij salutẽ, reputationẽ, honorem, decus, (nec ex dictis literis diuersum elici potest) semper optauit,

studio-

ſtudioſeque inquiſiuit: quum contra aduerſarios non leuibus diſpendijs didicerit minime erubeſcere, inſigniter rebelles fieri, ſacratiſſimas V.M. impie lædere, honoribus celſitudinibusque earum nefarie derogare, quemadmodum citra hanc commemorationem non ignoratis. Porro illuſtriſſimus Princeps æquo animo ferret, ſi quum e Cancellaria hæc aduerſarij producerēt, etiam alia non occultaſſent, ita enim manifeſtum foret, quibus ſacratiſſimarum V.M. reputatio ſacriq; Imperij ſalus magis arrideret, quam quidem cum contingat aliquando languidam fieri, non debet idcirco illuſtriſſimus Princeps culpari, quod familiari ac patriæ amantis zelo coram amicis de huiuſmodi ſtatu conqueſtus eſt, quem libenter puriorem vidiſſet, vti nunc quoq; optaret videre. Aeque ſunt iniurij, quod illum vnaq; & doctorem Heldium ſedulo elaboraſſe, ſtuduiſſeq; fingunt, vti bella & ſeditiones in Imperio ſurgerēt. Si enim ſacratiſſima V. Maieſtas ſeditioſorum horum hominum perpetua conſilia, facta atque practicas, cum animo ſuo aget, cōperiet ea, quæ ab illuſtriſſimo Principe dicta ſunt, quæ cogitauit, quæve conſuluit, ineuitabili neceſſitati adſcribi debere, quo aduerſariorum violentijs defenſiue obuiare, easque reprimere poſſet, ſicuti illuſtriſſimus Princeps Statuum Norimbergiæ confœderatorum hortatu, alioqui etiam priuate (iuxta huiuſmodi fœderis exigentiam) defenſiue facere debuit, etiam adhuc tantum oneris non recuſans, vti tandem ſeditioſorum horum hominum malitiæ atque conſilia ad extremum actum perduci: nobis vero antiqua veraq; fides, Chriſtiana religio, Pontificij culminis, ſacratiſſimarum V.M. ordinationum Imperij, tranquillitatum, confœderationum, conſtitutionum Comitialium autoritates ſaluæ poſſint remanere. Enimuero non multum abeſt, quin fidelium Statuum quemque miraculoſis & (vt ita dicam) panicis quibuſdam practicis, vel gladiatoria manu in ſectas ſuas protrahant, nihilque intentatum relinquant, donec Cæſaream Regiamque in Imperio poteſtatem, ad ſe omnem reuocerint. Quod tamen haud dubie Deus optimus maximus clementer remorabitur, ſacratiſſimæque veſtræ Maieſtates, ne contingat, ſedulo inuigilabunt, nihil eorum fidem, quibuſcunque etiam ſacramentis veſtitam ęſtimantes. Quotidiana enim experientia docet, nō magis apud hos fidem, quam quemuis Græculum reperiri. Videmus quāto & quam exiguo tempore, tot principalia diſtricta, tot Dioceſes,

cesses,tot potestates, Status,ciuitatesque allexerint,adhuc latius (vt notorium est)prorepentes.Itaq; quo magis tolerantur,hoc contu maciores magisque obstinati ad quæuis violentiarum, atque excessuum genera redduntur.Nihilo minus tamen audent de obedientia plurimum gloriari,& quam libentes sacratissimarum V. Maiestatum Imperijq; successus videant,cum tamen longe aliud facta testentur.Idcirco si sacratissimæ V.M.inquisitionem institu erint,vel Cãcellarias eorũ visitauerint, procul dubio multo prodi giosiores cõspirationes, acutiores practicæ,sceleraq; e latebris illis erũpent,q̃ cum Turca,cum Vaiuoda,cũ Franciæ Rege alijsq; po tentatibus consilia cõmunia habuerint.Hæc sacratissimas V.M. Electores,Principes & Status, consideratis quæ in hunc vsque di em perpetrarunt,non puto latere. Specialiter vero probari inde poterit,qui dictus Franciæ Rex,quum sacratissima V.M. prouinciam eius ingrederetur,ad Saxoniæ Electorem,Lantgrauium, aliasq; ciuitates,præcipue vero Argentoratum,& Iacobum Sturmium nunc præsentem,Ambasiatores suos cum credentijs siue muneribus amandarit,auxilia implorarit,consolationemq;, neq; huiusmodi sollicitatio inanis fuit. Siquidem plurimi Capitanei militumque cohortes,quid cohortes? imo legiones in Franciam Argentorato profectæ cum redirent,secure in contemptum sacra tissimæ vestræ Regiæq; Maiestatis ac mandati in Imperio desuper promulgati perpessæ sunt neq; secundũ eius tenorẽ castigatę, quemadmodum & in hodiernum vsq; diem,præcipue Argentorato,in Frãciam tuto proficiscuntur.Quid quod & anno deinceps sequenti eodem in loco sacratissima V.M.bellum gerente familiares Lãtgrauij aulici & subditi,Georgius a Reckenrod,Henricus a Bortfeld,qui quidem modo præsens est,item Guilhelmus a Schachten & alij ex commissione & certa scientia domini sui ad sæpe dictum Franciæ Regem militatum abierunt,ijsque tantisper de pecunia alijsque necessitatibus est prouisum,donec Rhenum superarent,ac tum demum pro concione edictum vetitumq; est,ne quis ad partes Gallicas concederet. Atque duo illi Bortfeld & Schachten etiam nunc gratissimi ministri & consiliarij Lantgrauij existunt. Vnde colligere datur,quos sacratissimarum V.M. Imperijq; successus exoptẽt. Sed nec potuisset seditio ea (quum illustrissimum nostrum Principem Ducatu suo eijcerent) feliciter succedere, ni plurimis ijsq; præcipuis militibus ex

Hungaria ad huiusmodi latrocinium reuerti fuisset permissum. Plane si considerentur, ponderenturq́ casus, qui eo anno (hoc est, quadragesimo secundo) contigerunt, sacratissimæ V.M. Electores, Principes, cæterique Ordines facile adorabunt, in quem scopum aduersarij arcum atque oculos tetēderint. Non enim tātum sperabant illustrissimum Principem sedibus absque vlla caussa occasioneque eijcere, verum etiam Turcam sub idem tempus detrimenti nihil passurum, sacratissimam V.I.M. ab hæreditaria sua Belgica casuram, in Hispaniam Frāciæ Regem ita irrupturū, vti eo oportuniorē ampliandæ cōiurationis, propositumq́ in effectum deducendi occasionem nanciscerentur, procul dubio etiam nunc eadem animi cōfidentia sacratissimarum V.M. infortunia aduersus Gallum & Turcam anhelantes. Præterquam quod conceptum semel odium, inuidiam, irā in illustrissimum Principem nihil tale suspicantem, quin apparatu omni bellico vacuum atq́ publicæ paci recessuiq́ Spirensi ab ijs ipsis extorto & sollicitato innixum euomere parabant, ad quam rem sacratissima quoque V.M. turpiter abusi sunt, cuius nomine omnem militem conscri pserunt, eoq́ conscripto illustrissimum Principem populis terraque exuerunt. Quum enim honeste & syncere rem componi nollent, quę tempora ad explēdam libidinem oportuniora videri potuerunt, quam occupatissima circa externos hostes Germaniæ republica, percussoq́ fœdere in Imperio (sicuti Spirensis dietæ constitutio decernit) quinquennali? Sane vero si supradictā defensionē (quam ipsi seditionem appellant) præ manibus habuisset, nequaq̄ huiusmodi finem Dei optimi maximi auxilio cœptis aduersarij imposuissent, & etiam nunc quiuis alius iuste cōqueri posset, si hæc merces deberetur, non sibi integrę fore in mœrore & curis agere, imminentemq́ malis volam semper expectare. Quippe hij homines tranquillitatis inexpertes perpetuas calamitates atq́ aduersitates comminiscūtur, sicuti abhinc multis annis, præcipue vero quū Comitia celebrarentur, aliquot militum cohortes conuentu facto, seditiones & bella in Imperio excitarūt, quibus enim consilijs, quibus machinatiōibus, cuius instinctu & hoc tpe sub hanc dietā Diocesis Verdēsis attētata, vastata, depopulataq́ fuerit, sacratissima V.M. p̄missa inquisitione ad id necessaria, haud difficulter explorabit. Cęterū illustris. Princeps hāc suā profugationē fidelibus oībus Impij Electoribus, Principibus & Statibus in exēplum

proponit,

proponit, vti tandem auidam seditionum mentem cognoscant, seq; ita parēt, ne huiusmodi fortunæ ludibria, huiusmodi damna, calamitatesque expectare perpetuo debeāt. Siquidem nulla apud aduersarios (vt diximus) facietas, sed inexplebilis seditiones & bella excitandi, magna cum alterius iactura, vastatione, despoliatione, cupiditas, quodque hæc se ita habeant, quotidiana manifeste docet experiētia, non tantum in illustrissimo nostro Principe, sed & in alijs Imperij Ordinibus. Iam vero alium eum quā pacis amantem citra controuersiam nunquam profitebuntur. Quæ enim sacratissimæ V. M. recolligēdæ eiusdem gratia, quæ D. doctori Heldio sub idem tempus sacratissimę V. Maiestatis Vicecancellario, deniq; quæ confœderatis suis, pro qualitate caussarum & grauaminum quotidie emergentium significauit, ea non tantum vt fœderis catholici affinis, verum etiam vt Imperij Princeps vigorē fidelitatis & iuramenti sacratissimæ V. Maiestati præstiti scribere coactus est, neq; in huiusmodi euentu posterius quoq; (in quantum vis aut ingenij acumen patietur) mutescet. Hanc porro fidelitatem atq; iuramentum quo pacto ipsi seruarint, sacratissimæ vestræ Maiestates, Electores, Principes & Status ex omnibus seditionibus, rebelliōibus, tragœdijs per Imperium in hunc vsq; diem excitatis, tam in caussis religiōis, quam prophanis, facile intelligūt. Quapropter dictas literas nulliter possunt allegare, quas etiam illustrissimus Princeps eatenus, quatenus veritas patitur, recognoscit. Nimirum quomodo iam a capite, iam a calce eas sine vllo ordine, sine vllo fundamēto accersierint, sacratissimæ V. M. Electores, Principes & Status sufficienter, quum allegarentur, hauserunt. Sane si illorum (vt supra auditum est) Cancellariæ visitari deberent, medius fidius tam honestæ literæ in ijs non inuenirentur, verum longe aliæ conspirationes atq; facta, imo meri Turcæ, meri Franci exirent. His ita præfatis rogat obtestaturque sacratissimas V. M. quam humillime illustrissimus Princeps, ne ob huiusmodi literas dolose allegatas inclementiores fiant, verum ad animum potius reuocent, ab aduersarijs odio & acerba tantum inuidia, nullo seditionis firmamento adductas, quodq; ad indignationem ipse nullam vnquā materiam sacratissimis V. M. subiecit, gressus adhuc suos ita suspēdens, ne in eā impingat, ac (vti fidelē decet Principē) sacratissimæ V. I. M. debitæ voluntati obnixe inseruire, eam officijs prosequi, eam colere semper studuit, huiusmodi artes, quoad

vixerit,acturus,necq; quicquam,quod ad sacratissimarum V. M. Imperijq; salutem,decus,reputationem pertinere videbitur,quatenus possibile erit,intermittet. Consequenter etsi Hilchium,vti praesidio aliquando ei copijs equestribus foret, rogarit, ac saluus conductus repertus fuerit. Item licet Lantgrauium prætensum Catinneliboiensium comitem bacchaturum scripserit,consultumq; fore, vti foederis catholici consiliarij & capita conuenirent, non tamen sequetur, illustrissimum idcirco Principem tumultuandi animum habuisse, sicuti quiuis minime partialis inferre non poterit, quod vel ex eo apparet, dum disiunctiue scripsisse fertur, aut eam perpulchram, bonam, firmam pacē habere debemus, aut insigni aliquo bello eam comparare. Vnde clarius lucet,ad tranquillitatem Germaniæ proniorem fuisse,quodq; sacratissimarum V.M. Imperijq; secundas res anhelauerit, neque colligi potest studium turbarum in Imperio excitandarum. Si tamen huiusmodi quid in aduersarios V.M.attentasset,idipsum pro excessibus eorum facere, ac iustum bellum iure publico, in rem sacri Imperij multorumq; membrorum singulariter inferre potuisset. Nunc vero ad placitum sacratissimæ V.M.hæc remittit,ea quæcunq; libet,faciat,at quæ aliter aduersarij exponūt,huiusmodi interpretationē nō penes ipsos, sed penes se illustriss. Princeps esse putat. Huc ptinet,q̄d scripsit sacratissimæ V.M. nō necessariū fore,vti serio qd molliatur aut gladium denudet,tantum sufficere serium propositum, quod apertius eruitē e literis,quas olim doctor Heldius ad Episcopū Moguntinum dedit,puta, pugnare debere eos etiam inuitos,qui pacis amantiores sunt, & quæ his prolixe assuuntur, magis ad defensionem,quam ad offensionem tendunt, sicuti impartiales satis intelligere habent, licet in ijs alicuius apparatus etiam mentio fiat,attamen aliud,quam ad defensionem procliuem fuisse,indagari non poterit. Quale & literæ Vueissenfelderij significant, defensionem tantum ingerentes, & quomodo recto ordine ea institui possit. Deinde intexunt D. doctoris Heldij scripta de deliberatione in ambabus prouincijs habita, & quā graue sit,q̄d in foederis caussa nihil agitetur. Ex quo similiter (licet anxius se crucient) offensionem nullam extorquebunt. Quin nec arguit sanctissimum Pontificem nostrum coronatos aliquot numerare velle,neq; etiam ex hac parte, quod ad ipsos faciat, inuenient. Adhæc nihil facit,illustrissimum Braunsuicensium Ducem tātum curasse,quod om̄ia

(G

(si negocium procederet)ad manum forent. Etenim ex eo manifestum est,nullum bellum auspicari, verum alios magis defendere decreuisse,quo etiam D.doctoris Heldij responsio trahi debet. Item hæc,si Cæsarea Maiestas euigilauerit, tum demum probitatem reuicturam.Solum defectum esse in capite,hoc modo vitam suspendere, nulli esse tolerabile, nihil arguunt, alioqui etiam extra culpam,quid culpam?imo etiam digna,quæ ad sydera vsq; laudibus euehantur, vtpote per quæ tandem pax & securitas in Imperio erigerent.Eodē spectat & alias vias esse posse.Neq; ad Rhombum ferē,quod in terra Vuirtenbergēsi res male successerit, maturandum esse,q̄dq; haud difficulter,si sacratissima I. M.negocium auspicarēt,procederet.Sunt em̄ huiusmodi clausulę ad defensionē magis intelligēdæ. In Vueissenfelderij literis nullius,prēterq̄ sacratissimæ V.M.reputationis,fit mentio,& quo pacto catholica confœderatio corroborari,neq; ab aduersarijs supprimi possit. Articuli,qui e quadam illustrissimi Principis consultatione excerpti feruntur,sup defensione quoq; fundātur.Etiam his ergo,q̄d intendunt aduersarij,non obtinent,neque sequitur(quod ex ea nulliter & infirme inferunt) sacratissimā V.M.in bellū acuere Braunsuicēsium Ducem voluisse.Hoc em̄ ex omnibus earū literarū centonibus,quantum adhuc productum est,minime oīm docetur.Attamen audent tm̄ propterea verborum effundere,murem pro leone ostendentes. Quin contrarium probant, proque illustris. Principe magis quam aduersarijs faciunt, maxime vero si integræ, non particulatim insertæ fuissent, tum enim oppositum & quod earū literarum,atque defensionis aduersarij præcipuam caussam semper dederunt, apertius intuerentur. Quod nunc negocium Henrici Saxoniæ quondā Ducis concernit, de quo mirum quam glorientur, quo pacto Braunsuicensium Dux ex insidijs illum atque Electorem, vnaque & Lantgrauium, quorum alter se Magdenburgiæ Burchgrauium,alter Catinneliboiensium se comitem prætendit, vocarique permittit, in summum Regalium & dignitatum periculum traducere cogitarit. Non ignorat sacratissima vestra Maiestas,quo pacto ipsa simulque Regia Maiestas cum nonnullis Electoribus, Principibus ac Statibus Imperij ad sustentationem veræ nostræ catholicæ fidei,cæremoniarum, pacis, tranquillitatis, iurium, in sacro Germanicæ nationis Imperio ante annos nonnullos, secundum tenorem recognitionis desuper factæ

Christianum fœdus quoddam erexerit, quo tempore Saxoniæ Dux Georgius piæ & catholicæ memoriæ Princeps, Christianam eam vnionem vna cum populis & subditis pro se, hæredibus successoribusq; suis acceptauit, & ad eam seruandam se obligauit, atq; adeo vt & testamentum deinceps, vltimamq; desuper voluntatem, honestam, ligantem ac firmam (quam quidem sacratissima V. Maiestas postea confirmauit & corroborauit) conderet. Quum autem Deo ac naturæ debitum persoluisset, in Ducatum Henricus Saxoniæ Dux successit, qui a sacratissima V. M. vti supradictæ catholicæ vnioni atque fratris vltimo elogio morem gereret, sæpius requisitus, vbi nihili eam autoritatem pendere visus est, catholici Status explorata veritate iniquum duxerunt atque indignum memoria, literis, sigillo, testamento Ducis Georgij, neque conueniens, vt ad eam secessionem conniuerent. Itaque de medijs cogitauerunt, per quæ Ducis Georgij pie defuncti subditi possent in vera & catholica fide perdurare, inque vnionem defensiue reduci. Circa quæ consilium suum, quatenus honestas & vtilitas suadebat, cōfœderati (inter quos etiam illustrissimus Princeps fuit) interposuere, sacratissimæq; V. M. ea quę aduersarij proferunt, forte indicauerūt ex supradictis caussis non immerito: fœderis enim eiusdem affines modū quæsierunt populos retinendi, ac in eum statum, in quo antea fuerāt, reuocandi, nihil innouātes, sicuti aduersarij facere consueuerunt. Quamuis enim in multis caussis (in quas ipsimet cōsenserunt, acceptarūtq;) decisum sit, vti neminem posterius ad conspirationem suam admitterent atq; allicerent, non tamen solum id facere non destiterunt, verum directo cōtra plurimos Status, præcipue vero vetustā illam & catholicam vrbem Maulhausensem, vna cum Hildesheimio alijsq; ciuitatibus in suas sectas violenter compulerunt atq; receperūt, vt notorium luciq; expositum est. Iam vero in consultatione ea tam honestus modus præscriptus est, vt eum ingenuorum quisque culpare non possit, qui si in effectum deductus fuisset, multas calamitates amouisset, tantumque procurasset, vti res bello non transigeretur, itaque consilia hæc circa defensionem ambularunt. Sane fieri potuit, illustrissimum Principem per Balthasarum a Stechau exercitum curasse consignari, quod vero hoc contigerit animo offendēdi Henricum Saxoniæ Ducem, equidē negamus, eaque consignatio forte adhuc in viuis constituto Duce Georgio contigit.

Porro

Porrò alteram consultationem, quæ post illam facta dicitur, eiusmodi fuisse, sicut aduersarij exponunt aut glossant, nequit illustrissimus Princeps recordari, & si ita esset, in se tamen non amplius complecteretur, quam vti sacratissima V. M. præcipuos ad se accerseret atque moneret, qui si recte monentem sequi noluerint, Regalibus & dignitatibus exuerentur. An ergo hoc in loco sacratissimarum V. Maiestatū reputatiōis Imperijq̧ salutis ratio magis habita fuerit, quam vt aduersarij priuarentur, ad quemuis impartialem illustrissimus Princeps se remittit, neq̧ obstat quod sacratissima V. M. id quod occuparet, ei in feudum concederet, atq̧ idcirco religiōis, Imperijq̧ zelo minime oīm æstuasse, tm̄ propriæ cōmoditati studuisse, hoc eñ falso prædicat̄, neq̧ sacratissimæ V. M hoc propositum fuit. Sed huiusmodi q̄d obiter alicubi forte notū (tanq̄ fabā pueri) reperunt, vnde temere tm̄ gloriari nō erubescunt. Atque hæc illustrissimus Princeps non idcirco narrat, tanq̄ ab ijs abhorreat, verum vti veritas luci exponatur, quod enim sacratissimæ V. M. iussu facere potuisset, id etiam facere necessario debuisset. Verum hic articulus alio animo proponitur, vt videlicet occasionem inde, quamq̧ infirmam faciant, illustrissimū Principem in sequentibus iniuriandi, rumoresq̧ de ipso excitandi, alioqui quid hæc ad propositum? potuerunt ne idcirco legitime bellum instituere? illustrissimumq̧ Principē Ducatu ejcere? quod quidem nemo vnquā æstimabit. Deinceps loquuntur de virgine quadam defuncta, qui cum ea actum sit, cupiūtq̧ ita alteram promiscuo populo fabulandi materiam proponere, quorum ea consuetudo est, vti a veritate deuij, minime tamen omnium rubore afficiantur. Et sicuti ex aduersariorum propositione colligitur, non potuit eo tempore in Ducatu suo illustrissimus Princeps fuisse. Quid ergo audent de hoc tam multa aniliter disputare? Iam vero quum Ratisponæ coram sacratissima vestra Maiestate idcirco accusaretur, satis superque respondit, quæ quidem denuo hic repetit reuocatque. Profecto mirabile est eos sacratissimam vestram Maiestatem huiusmodi nugis molestare, diuque cum magna vigiliarum atque missarum exaggeratiōe detinere, qūum tm̄ nihili ea obsequia pendant, imo pro ludibrio habeant. Vnde euidenter apparet, q̄d ipsimet p̄tensam suā religionē non magni æstimāt, eaq̧ tm̄ vtant̄ cōtra cōscientiā in p̄ditionem animar̄, corporūac bonor̄, pro fuco & ante actar̄ seditionū, futurar̄q̧ colore,

alioqui

alioqui huiusmodi exaggerationem procul dubio posthabuissent. Quod si illustrissimus Princeps de talibus in hac corona dicere vellet, certe posset ad longum minime mentiendo, qualibus actibus vitam Lantgrauius atque aliquot alij propagarint, nudare, apud quos ne finem quidem peccandi adhuc inuenias. Siquidem manifestum est Lantgrauium vna coniuge non contentum, contra diuinam autoritatem, religionem catholicam, Imperiales sanctiones, quod quidem ab exordio fidei Christianæ vsque ad hæc tpa ne auditum quidē fuit, etiam aliam superinduxisse, binasque vxores eodem tempore habuisse constitutas. Quo id exemplo fiat, iudicent sacratissimæ vestræ Maiestates, Electores, Principes & Status. Itaque infamiam incurrit, nullius honoris & & dignitatis capax, nulliusq; æstimationis homo, a sacratissima vestra Imperatoria Maiestate ad exemplum aliorum merito castigandus. Maiores nostri, quia polygamiam vt rem inhonestam repudiabant, a Cornelio Tacito plurimum commendantur, legiturque in Deuteronomio, non habebit vxores plurimas, quæ alliciāt animum eius. Hoc autem illi illustrissimus Princeps vere obiectat, quod & ipse quasi legitime ac probe factum confitetur. Sic flagitiosum facinus sequitur flagitiosa confessio. Et quia tanta, tam inhonesta, tam inaudita scandala a Saxoniæ Electore præterea so Magdeburgię Burchgrauio suaq; Academia Vuittembergēsi tolerantur, iudicanturque non iniqua, in pari culpa, reatu, caussa non possunt non constitui. Porro habet adhuc alia, quæ optimis circunstantijs vallata in medium produci possent, dignaque flammas censeri, ni rationē sacratissimæ vestrę Imperatorię Maiestatis habendam sibi duceret. Enimuero audit duas minime adhuc illi cōiuges sufficere, sed præter eas etiā tertiam & deinceps plurimas ducere conari, vt interim taceam de concubinis, quarum non exiguus quoque numerus est. Illustrissimus certe noster Princeps non inuideret hisce duobus, Saxoniæ videlicet Electori & Hassiæ Lantgrauio, si maiorum suorum vestigijs insisterent, neque inauditis huiusmodi minusque Christianis negocijs se implicarent. Quum autem hoc in loco literarum quarundam fiat recitatio, quas illustrissimus Princeps ad coniugem suam pie defunctam quondam exarauit, multomagis in memoriam reuocandæ fuissent illæ, quas Lantgrauius a priore vxore honestissima Principis Georgij Ducis Saxoniæ filia extorsit, in quibus profiteri coacta

acta est secūdo matrimonio se nolle refragari, item quō huius con tracti prætensi matrimonij literæ a quodam inter alios, qui se Hermannum a Malsburg cognominat, sigillatæ fuerint, non iniucun dum, verum auditu interim (si proferretur obligatio) foret horrendum. Consequenter, nisi mores & consuetudinem aduersariorum probe illustrissimus Princeps nosceret, non immerito mira retur, quod incendiorum nullam faciunt mentionem, quorum ipsum cum ministris & necessarijs suis, non tantum per Germaniam, verum etiam per totum orbem iniuriose, inique, impudenterq; buccinarunt autorē, ne dicam quam grauiter idcirco coram sacratissima vestra Maiestate reum fecerint, ad corroborationem producendo quasdam prætensas, laceras, mentitasque tortura extortas confessiones, procul dubio sacratissima V. Maiestas quid ad ea responderit, adhuc habet in recenti memoria. Nunc ergo, si basis esset aliqua, prodire deberent, attamen omnino tacent, & ne leuis quidem de ijs susurrus auditur. Itaq; maliciam suam ostendunt, faciuntque næ tacendo, vt nihil præter fucum populo diuendidisse, sicuti & in alijs omnibus, credantur. Idcirco nullam ipsis fidē amplius adhibendam sacratissimas vestras Maiestates, vosq; Electores, Principes & Status non puto ignorare. Qui em̄ semel malus, semper præsumitur malus. Cæterum quia suggillationes, infamiæ atq; iniuriæ huiusmodi plusq̄ horrendæ & atroces, quin etiam intolerabiles, ob quas aduersarij merito in eam pœnam, in quam innocentes traducere sunt conati, incidant, conuenit sacratissimæ V. Maiestati, hosce blaterones atque alienæ famæ depeculatores ita tractare, & vt dignam læsi satisfactionem, restitutionem æstimationemq; recipiant. Ad hæc Lantgrauius ante hæc tempora gloriatus est se per instructionem illustrissimi Prin cipis Secretarij (quem ceperunt) multa probaturum, sed ea instru ctio in lucem minime adhuc prodijt, quā quidem plurimum audire desiderabam. Videor mihi videre inutilem esse, ac secūdum eam aduersarios posse puniri, quapropter non temere retenta est. Conantur ad hæc illustrissimo Principi adscribere, quo pacto in bellum contra ipsos suscipiendum huiusmodi delatione, quia ani mo cōciperent Germaniæ rempublicam exagitare, sacratissimam vestram Maiestatem protrudere cogitarit. Verum inique cum illustrissimo Principe denuo agunt, cui Deo optimo maximo teste Germaniæ ruina ne in mentem quidem vnquam venit, tantum

quomodo ea a præsentibus calamitatibus eripi possit perscrutatus, sicuti ex aduersariorum productione impartialis quilibet facile haurit. Ad ea autem, quæ de Lantgrauio ac Vuirtenbergensium Duce D. Matthias Held doctor scripsit, si opus erit, fideliter ipsemet recteq; respondebit, quem quidem illustrissimus noster Princeps in omnibus talem sensit, qualem in officijs & ministerijs sacratissimæ V. Maiestatis expediendis, in reputatione eiusdem famaq; amplianda, in successibus promouendis, fidelem & vigilantem decet versari, cuius rei sacratissima V. Maiestas clementissimum procul dubio testimonium præstabit. Iam vero quod fertur illustrissimus Princeps scripsisse, aduersarios meditari bella atque seditiones, neq; ab infideli religione destituros, hoc equidem non inficiatur, falsum minime de ijs (sicut notorium est) locutus, quin etiam rem se ita habuisse, suo periculo comprobauit. Quamobrem in tam manifesta & dilucida re, non necessaria est aduersarijs longior excusatio, quod enim inustum est, plusq̃ verum fuisse euentus docuit. Sed & quæ de Lantgrauio specialiter (iuxta copiam hic insertã) scripsit, hoc ita, sicuti quiuis ex aliquo circulo arreptus, sufficienter potest defendere: qui vero fidem adhibere nolit, ad facta oculos conuertat, inueniet enim exactissimam horum, ita vt manibus palpari possit, doctrinam. Atq; ille etiam quam acerbus Anabaptistarum hostis fuerit, elicitur e sua propria hac purgatiõe, qua illos eiectos e finibus suis contẽdit. Neq; enim Imperatorijs constitutionibus exilium satisfacit, quin pestiferas eiusmodi sectas ac conuenticula potius auget. Attamen ægre potest adduci, vt credat Anabaptistarum quenquam a Lantgrauio profugatum. Quandoquidem ante hæc tempora officiarijs suis iniunxit, ne tales punirentur. Et licet custodijs aliquando premerẽtur, mox tamen libere dimissi sunt. Itaq; palpum hominibus obtrusit, conspiciliaq; (vt dicitur) vendidit. An autem etiam ipsemet, vnaq; & e consiliarijs suis quidam Baptismum iterarint, vel priore contẽti fuerint, Hermannus ille, qui se Malsburgensem cognominat, vnus e quatuor præcipuis consiliarijs, si aliter quam delato iuramento examinaretur, sat respondebit. Et quæ idcirco in ciuitate Susatiensi ac Vuesaliensi attentarit, nemo est qui nesciat. Vt prætercam insigne dicti Malsburgensis de eodem præconium, quem non puduit proferre, a Lantgrauio cacodæmonem vinctum domi detineri, cum si solueret, mirabilem humanarum rerꝫ fore conditio-

ditionem. Vnde quiuis facile intelligit, an alium, quam ad ciuile bellum & seditiones animum habuerit. Sed quum multa sint indigna, quibus consistere nequeunt, tum nihil minus est ferẽdum, quam quod student illustrissimum Principem in odium rapere, finguntq́ꝫ sacratissimas V.M. ab eo iniuriosis verbis impetitas, atque idcirco grauiter læsas. Quo tamen commento egregie præuaricantur, neq́ꝫ minimum huius, consarcinatis huiusmodi particularum centonibus edocebunt. Nam & si scriptũ sit: Reliqui confœderati minime credunt sacratissimam V.M. rem serio agere, tantum inter Principes bellum seminare. Item toti fœderi perquam molestum esse, catholicam vnionem ab Imperatorijs subsannari. Item R.M. tantum negocij Hungariam facturam, quod confœderatiõis facile obliuisceretur. Item sacratissimam V.M. non semper cunctatorem, verum reputationis suæ aliquando memorem fore atque vnionem defensuram. Præterea, si sacratissima V.M. aliter nolit accingi, satius fuisset, si in Germaniam ea non redijsset. Ad hæc sacratissimam V.M. Fabium agere, omnem illi occasionem elabi. Postremo, illustrissimum Principem plus vna litera aut verbo, quam alios factis posse. Non tamen colligi potest neq́ꝫ concludi, sacratissimis V.M. ab illustrissimo Principe iniuriam factam, cum in omnibus nullum iniuriosum verbum possit inueniri. Proinde indubitate confidit sacratissimas V.M. nihil temere de se credituras. Verum obsecundantem diligentemq́ꝫ illam voluntatem, qua sacratissimas V.M. vna cum complicibus suis semper coluit, amoremq́ꝫ eum, quo incredibiliter huc vsq́ꝫ, vti altius sacratissimæ V.M. Imperijque gloria, reputatio, decus surgerent, æstuauit, considerabunt, quæ quidem etiam nunc videre summopere exoptat, & pro ijs se salutemq́ꝫ suam offerre vlterius (antea enim satis magna huius studij exempla sacratissimæ V.M. de facto videre potuerunt) non subterfugit. Subinde quum aduersarij iam dicta inualida esse sentiant, neq́ꝫ satis commode sacratissimas V.M. posse exacerbare, alia tela depromũt, aiuntq́ꝫ quia sacratissimæ V.M. pessimas suas adinuentiões expedire noluerunt (ita enim hæc libenter adaptarent, vt continua facta videri possint, cum tamen huiusmodi non sint) ad consiliarios vestros se conuertisse, in eosque iniuriose multa expuisse, sed factum illustrissimus Princeps negat, neq́ꝫ vnquam rationes spesque suas in malas practicas coniecit, aut ad eiusmodi persuasiões ingenium

exercuit. Iniqui itaque sunt aduersarij hæc dicendo, & huiusmodi studio præter alios mirum quam ipsimet teneantur. Simultates equidem aliquæ inter ipsum & D. Granuellam intercesserũt, quorum gratia coram sacratissima V. M. conqueri non abhorruit. Nunc vero omnis ea controuersia per sacratissimam V. M. posita est, & quæ circa eam contigerunt, in portu nauigant. Vnde honestius huiusce rei mentionem non fecissent. Quorsum enim hęc spectant? nisi ad dignoscendam ipsorum mentem, quodque mutua acuere odia irasq; tantum conantur. Est autem perpetuus hic Euangelij illius (quo se iactant) fructus, exitiale virus passim instillare, discordias, bella, odia, denique varias calamitates seminare. Quæ extraneas personas in aduersariorum actione attingunt, ad ea non cogitur nunc respondere: si principales illustrissimum Principem conuenerint, non recusabit contra eos legitima sua responsione (qua cuiuis satisfiet) vti. Apparet ergo ex supra dictis omnibus, quod illustrissimus Princeps suique complices sacratissimas vestras Maiestates ante oculos semper habuerunt, honoreque & reuerentia exactissime affecerunt. Atque vtinam pari studio aduersarij hi nostri fuissent intenti, aut eidem adhuc pro viribus incumberent, procul dubio res se melius cum catholica nostra religione, Germaniæque salute, quam proh dolor nunc videmus, haberet. Ad quod Deus optimus maximus pro æterna sua bonitate gratiam indulgeat. Porro si duriora tela depromere non potuerunt, consultius fuisset, si & hæc domi continuissent. Enimuero quia magnifica promissa, miramq; expectationem de se varijs in angulis mouerunt, idem ipsis, quod in partu montium contigit nato ridiculo mure, nanque vbi ad rem ventum est, meras nugas attulerunt. Ad vltimum tamen proponunt, neque sacratissimæ vestræ Maiestati, neque suis addictissimis amicis, neque alij cuiuis illustrissimum Principem fidem seruasse: quodque propriæ commoditatis gratia nulli vnquam pepercerit, æque impudenter, quin moribus & vitæ ipsorum ita conuenit, vt non magis possit. Quod igitur ad Daniæ regem spectat, rogat illustrissimus Princeps aduersarios, vtri potius, an sacratissimæ vestræ Maiestati, an vero Daniæ Regi fidem seruare magis debuerit? Erga Daniæ Regẽ, vti affinẽ decuit, se gessit, neq; ingratũ illi qcq̃ fecit. Sacratissimæ vero V. M. fidelitatis iuramento fuit astrictus, cuius vigore, q̃ debuit, diligẽter executus est. Vñ nõ põt hoc noĩe

magnopere ſuggillari. Cęterum quo pacto ſocerũ ſuum Lantgrauius Georgium Saxoniæ Ducem pie defunctum obſeruauerit, quum grammatophorum huius, Matthiam nomine, ex inſidijs captum obuelaret, literasq; in iniuriã eius, quem patris loco habere debebat, reſignaret, quis eſt, qui neſciat? Erga creditores ſuos illuſtriſſimus Princeps ita ſe geſſit, quod nemo ipſum reprehẽdet. Facile credit aduerſarios, potiſſimum vero Lantgrauium creditores huiuſmodi ex parte incitaſſe, ac ſi ea propter in infidelitatem & damna illuſtriſſimum noſtrum Principem traducere potuiſſent, non defuiſſet impigra voluntas, neq; enim alios fructus huiuſmodi Euangelium, quam damna proximis & iniurias, ſecum adfert. Sed quam tenaces ipſi fidei ſint, multa poſſent diſputari, quæ tamen modo prętermittimus. Nunc igitur omnia vobis illuſtriſſimi noſtri Principis facta & cogitata illuſtrantur, nunc innocentia ſua patere poteſt, homicidia, populorum obærationes, ſubornationes occultorum hoſtium, quibus Goslarienſes ſunt vexati, inique illi imputantur. Ciues Goslarienſium (de quibus ſupplicium ſumptum eſt) maleficos, ac iudicio ſecũdum delictorum qualitatem fuiſſe cõdemnatos, ſacratiſſimam V.M. ab illuſtriſſimo Principe minime læſam, quin contrarium ipſimet docuerũt, neq; contra Auguſtani receſſus conſtitutionem in ſacratiſſimæ V.M. ſaluo conducto doctorem Delinghauſen captum, Goslarienſes ob incendia & monaſteriorum, templorum, ſacellorum deuaſtationes, metallariorum ſeruorum necem, multaq; alia facinora, quæ primi perpetrarunt, in pœnam ruptæ pacis incidiſſe, quæ quidem omnia ſacratiſſimæ V.M. vti bene ponderentur, remittimus. Neq; falſum eſt, illuſtriſſimũ Principem coram ſacratiſſima V. M. grauiter conqueſtum, quod famoſis Saxoniæ Ducis & Lantgrauij libellis reſpondendi occaſio (quum tamen priores in ſcribendo fuiſſent) ipſi auferretur, eiusq; puncti gratia publice in conſeſſu procerum Imperij proteſtatum, (luce enim expoſitum eſt) ipſum eiuſmodi libellis cauſſam & originem non dediſſe, ſed aduerſarios, quemadmodũ etiam hæc exterſerunt, quapropter falſo accuſatur, quod promiſſis ſacratiſſimæ V. M. factis non ſteterit. Sed nec negari poteſt, ipſum poſt Ratiſponenſem receſſum in Saxoniæ Ducem & Lantgrauium nihil euulgaſſe, ſcriptaq; quæ ad Balthaſarum a Stechau dedit, Comitiales deciſiones anticipaſſe: contra vero Lantgrauium ſub dietam Spirenſem in infamiam

ipsius libellum ædidisse, idcirco sacratissimæ V. M. illustrissimus Princeps præter meram veritatem nihil significauit. Aeque constat caussam Abenrod infirmam atq; improbabilem esse. Vnum adhuc crimen restat, quod nouissime prætendunt, quo pacto uidelicet pecunia quosdam comparauerit, qui insidias Lantgrauio tenderent, eiq; perniciem machinarentur. Verum neq; hoc vnquam sufficiēter edocebunt, & si cōfessiones tortura extortas quasdam ea de re producere possint (quas quidem nō credimns ipsis ita obuias) eiusmodi tamen sunt, vt nequeant illustrissimū Principem in crimen vocare. Quam enim coactæ attestationes fidem faciant, nulli Iurisconsultorum obscurum est. Itaq; rursus inauditam, absurdam & iniquam rem postulat Lantgrauius, vti contra formam iuris e torturis & quæstionibus miserorum fides discatur. Cum de reatu proprio confitentis periculosa confessio, nō sit aduersus quemlibet admittenda. Restituat eos pristinæ libertati, ac vbi libuerit, tum demum illustrissimum Principem accuset, sic enim videbimus, quid docere possit. Neq; enim a torturis est incipiendum, quibus omnia sua (sicut videmus) defendere conatur. Sacratissimam quoq; V. M. & quemuis alium non ignarum puto, quum inter aliquos discordiæ atq; inimicitiæ agitantur, an conueniat ab vno in præiudicium alterius quosdam incarcerari, examinari, torqueri, & deinceps huiusmodi miserorum confessione multa velle probare, quæ mera violentia est. Ita & ante annos aliquot innocentem quendam popularem, Ioannem Thiel nomine, in vincula coniecit absq; vlla caussa & iudicio, inq; illustrissimum Braunsuicēsium Ducem diris cruciatibus torsit, qui tamen miraculose custodiam euasit. Ea propter nequit in prætensam huiusmodi Lantgrauij petitionem consentire. Quamuis non ignoret, si libertati (quemadmodum supra dictum est) testes restituerentur, talia (neq; etiam possent) de illustrissimo Principe minime dicturos: ac eam ob rem offert se non grauatim ad legitimam iuris super hoc disceptatiōem. Cui nec obscurum fuit, quo pacto Archiepiscopus Coloniensis, Elector, &c. e ministris suis quēdam a Catinneliboiensium prætenso comite, prætense etiam requisitus, in custodias protraxerit, eiusq; in caput dn̄i torquedi potestatem fecerit, q̄d quidē minime suspicabaẗ, vti cōtra sacratissimæ V. M. Ordinationem capitalium caussarꝫ, formāq; iuris huiusmodi examen permitteret, pro quo dimittendo iam antea R. D. S. scripsit,

neq;

necq tamen illa benigne petentem responsione dignatur. Quocirca eandem hic denuo cōmonefacit, sacratissimamq; V. M. quam humillime rogat, vt in hac caussa æquitati prospiciat, & innoxius ille libere possit dimitti, tum enim legitime examinatus, longe aliud profecto cantillabit. Quod si Lantgrauius attestationes, quas in arce Vuolffenbuttel reperit, produceret, ex ijs citra sudorem appareret, quo pacto homines quosdam scelere perditos in illustrissimi Principis suorumq; affinium capita subornarit. In quo quam etiam sit laudandum, quod consilium suum in Goslarienses non sine magnis præsidiorum pollicitatiōibus interposuerit, eaq; non tantum nō præstiterit, verū etiam aduersarios, attamen seditiose, atque ex proprio (sicut relatum est) temerario ausu adiuuerit, quod præstitæ fidelitatis immemor Archiepiscopum Mogūtinum, Electorem, &c. bello petiuerit, quod Ratisponensi Spirensiq; recessui contrarius illustrissimum Principem nostrum Ducatu eiecerit, secretarium eiusdem ceperit in infamiam eiusdem libellos ædiderit, cum Francorum Rege fœdera inierit, cuius discutiendum relinquimus, vt interim taceamus, quæ Belgicæ occasione cum Anglo contra fidelitatem attentarit. Ex his nunc omnibus (sicuti supra relata sunt) clarissime lucet, bannitos Goslarienses omium harum inimicitiarum, quas ipsi cum illustrissimo Principe exercuerunt, autores. Goslarienses primos in tranquillitatem temere commisisse, per quos templa, monasteria, delubra, contra ius fasq;, contra Ordinationes Imperij, contra pacis religionem direpta, spoliata, lacerata, incensa & excisa, metallarij serui candentibus fornacibus crudeliter iniecti, exusti, trucidati, confossi & oppressi, illustrissimi Principis territorium proprietatesque exinanitæ, molestatæ & vexatæ, necessarij eiusdē & ministri læsi, vulnerati & interfecti sunt. Nullas inimicitias ipsis subornatas, nullam doctori Delinghausen emptam necē, idcirco familiares illustrissimi Principis iniuste accusari. Goslarienses cum hostibus suis in gratiam rediisse, facta ea partim seditiosorum hominum conspirationem, partim banni legitime fulminatam sententiā præcessisse, attamen omnia coram Camera pendisse, alijs decisis, alijs decisionis euentum expectantibus. Accedant seditiones, prædationes, deuastationes in Ducatu illustrissimi Principis exercitæ, per quas non iniuria in bannū sacratissimæ vestræ Maiestatis Imperijq;, condemnati, declarati & denūciati sunt, neq; de iure, neq; de facto, quæ

I iij contra

contra ipsum adferuntur, consistunt. Quæ cum ita sint, minime omnium conueniebat, aduersarios contra illustrissimum Principem cum bannitis coadunari, qui & ea de re eandem sententiam incurrerunt, neque præstantiores quam principales censendi sunt. Vt interim taceam a vera Christiana religione secessionem, cuius gratia nullum in Imperio ordinem lōgius possunt habere. Ac licet sacratissima V.M. bannum illud legitime pronunciatum suspenderit, aliasq; inter banni sententias in Ratisponensi recessu cōplecti debere declarauerit, Regiaq; deinceps M. suspensionē cōfirmauerit, prorogauerit, atq; caussam aduocarit, in ea tñ oĩa, neq; in dictā suspensionē, neq; confirmationē, neq; prorogationē, neq; aduocationem, neq; cautionem illustris. Princeps consensit, aut consentire debuit. Ad hæc illustrauimus dictos Goslarienses vnaque & Braunsuicenses post & ante suspensionem, declarationem, prorogationem, confirmationem, &c. Ratisponensem & Spirensem recessum multis modis, non obstantibus Imperatorijs mandatis, Imperij Ordinationibus, religiosa pace, in territoriū & proprietates illustrissimi Principis nostri impetum fecisse, suam libidinem illic expleuisse, vi alienum abstulisse, Saltuarios præfectos eiecisse, æstimasse, verberasse, torturis & fidiculis subiecisse, deniq; trucidasse, ab ijsdem templa, monasteria direpta, excisaq;, Iurisdictiones illustrissimi Principis, libertates, nemora, pascua, violenter occupata. Ecclesiasticas personas vinculis cohibitas, earum instrumenta sigillaq; vi extorta, agnos, prata, prædia, hortos ablatos, contra fidelitatem promissaq; in Ducatum illius exitiales doctrinas & errores sparsisse. Braunsuicēses vero illustrissimi Principis subditos & feudatarios, fidelitatis tamen immemores, contra dominum cū Protestantibus fœdera percussisse. Præterea q̄d illustris. Princeps post & ante suspensionē, prorogationem, declaratiōem, a quo consiliarijs, quos domi reliquerat, mandauit, contra dictas ciuitates nihil illegitime attentarit, nullius seditionis iure, aut alioqui alio modo adhuc conuictus, quod nullum belli apparatū habuerit, verū in oĩbus quietem egerit, quod Protestātes denuo vigore Ratisponensis & Spirensis recessus pacem & tranquillitatem seruare promiserint, eius tamē obliti, Germania illustrissimoq; Principe (siquidem & suum militem eo dimiserat) circa expeditiōem Turcicā occupatissimis, sine iudicij decisione, & ordine iuris non obseruato, bello ipsum petiuerint, eq; Ducatu suo extirpata radicitus

tus vera nostra catholica religione,templis,sacellis,delubris, in qui bus calices,mysteriothecæ,missalia,alijq; ornatus,supra quam dici potest,abundabant,depopulatis,Ecclesiæ patrimonio in totū dire pto,atque in prophanum vsum conuerso,eiecerunt. Denique illu strissimum Principem minime omnium cogitasse Braunsuicenses,vnaq; & Goslarienses bello lacessere,aut ad effundendum san guinē sacratiss. V. M. irritare:q̄n verū ad sacratiss. V. M. perpetuo retulisse,nihil contra eandem Regiamq; M. machinatū. Porro eas vt superiores & capita ante oculos semp̄ habuisse, fidelibusq; affecisse officijs. Quodque turbulenti hi nostri,ocij & pacis aduersarij nullam defensionem, sed meram offensionem erga illustrissimum Principem,sine vlla caussa, contra ius,contra Imperij Ordinationes constitutionesq;, contra æquitatem & honestatem exercuerint. Quapropter & in pœnam ruptę pacis inciderunt,illustrissimūq; Principem absq; vllo fundamēto conuicijs,iniurijs,maledictis vexarint. Habetis ergo,quæ calumniosa actione aduersarij cōtra illustrissimum Principem suosq; necessarios & affines produxerunt atque epilogisarunt,mera commenta,meras præuaricationes, mere infirmos articulos esse: quodq; huiusmodi dicentes, inique cum illustrissimo Principe suosque agunt. Procul dubio etiam sacratissimæ vestræ Maiestates, Electores, cæterique Imperij Principes & Status, tum quiuis etiam impartiales satis intellexerunt, quam inhoneste ipsum tractarint, nihilq; cogitarint præter bella, dissidia, sanguinis effusionem, & quo pacto Imperatoriam Regiamque potestatem in Imperio ad se omnem reuocarent, quod quidem (Deo auxiliante) in effectum minime deducent. Deinde violentias illatas non tantum honorifice ipsos non excusasse, verum etiam ea propter omnes omnium diuinarum, humanarumque legum,consuetudinum,naturæ, pactorum, Imperij Ordinationum, ædictæ non sine grauibus animaduersionibus tranquillitatis,Norimbergensis,Ratisponensis & Spirensis recessus constitutiones, supina & crassa ignorantia violasse. Braunsuicenses contra illustrissimum Principem,quem in dn̄m agnouerunt,cuiq; fidelitatis iuramentum præstiterunt, feloniam atq; perfidiam commisisse. Subinde illustrissimus Princeps omnes & singulas(quas principio intexuit)protestationes denuo repetit, præcipue vero,quod hac responsione in arbitrium vestrarū Maiestatum Imperijque(quantum ad hanc caussam spectat)minime descen-

scen-

ſcendit,neque ob hanc neque aliud quiduis ab incepto ſemel iudicio deflectere cogitans. Et ne turbulenti hij noſtri & quietis aduerſarij vlterius quid præſumere atque adducere poſſint,de nullitate hoc in loco huiuſmodi in euentum coram ſacratiſſima veſtra Imperatoria Maieſtate,Electoribus,vnaq; & alijs Imperij Principibus & Ordinibus,palam & per expreſſum proteſtatur,multoque magis confidit ſacratiſſimam veſtram Maieſtatem, primum vt Romanum Imperatorem,cui hoc ex officio conuenit,deinde vt eiuſdem confœderationis affinem,auxilijs, conſilijs, conſolationeque contra ſæpe dictos aduerſarios ſeditioſos & periuros minime ei defuturam, verum procuraturam,vti coram ſacratiſſimæ veſtræ Maieſtatis Imperijque Camera litis pendentia, iuriſque ſui æquitas,ſupradictis beneficijs,ſuſpenſione videlicet,confirmatiōe, prorogatione,mandato(quæ alioqui per ſe nulla,inualida & inefficacia ſunt)caſſatis,cancellatis,atque in totum ſublatis,procedat,in omnibus hiſce quam humillime ſacratiſſimam veſtram Maieſtatem inuocans,eidemque ſupplicans. Pro cuius idcirco opibus & dignitate,forti & magno animo ſe ſuamq; ſalutem in diſcrimen cum fortunis omnibus offerre, quoad viuet,addicit atque obſtringit.

Benedictus Deus.

Si quid erratorum vſpiam deprehenderis candide Lector,id poteris pro tuo ipſius arbitratu tollere,præſertim in C.3.faciei.linea 9.vbi Sueuici fœderis pro Sueuicæ coniurationis fuerit legendum. Vale.

VVE